

A 231  
5

Aufw. Sammelbd. 1. Bd.

Hist.

III. c. d.

DE  
AETERNIS  
PECCATORVM POENIS  
DISSERTATIO THEOLOGICA

---

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO MAGNIFICO ATQVE SVMME REVERENDO  
DOMINO  
HENRICO KLAUSINGIO  
SS. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROF. PVBLICO  
ECCL. CATH. MISN. CANONICO ALVMN. REG. ELECT.  
EPHORO NAT. SAXON. SEN. ACAD. DECEMV. ET  
COLLEG. MAI. PRINC. COLLEGIATO

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO  
OMNI OBSERVANTIAE HONORIS ET AMORIS  
CVLTV AETERNVM PROSEQVENDO  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

H. L. Q. C.

D. XXVIII NOVEMBR. AN. MDCCXXIV

DEFENDET

AVTOR

M. GEORGIVS CHRISTIANVS Wolff  
FREIB. MISN.

---

LIPSIAE  
LITTERIS IMMANVELIS TITII.

DE  
AN  
HENRICO

FR  
HENRICO

HENRICO  
HENRICO

IN ACCEDE

M. GEORGI

HENRICO



VIRIS  
SYMME. REVERENDO. ET. EXCELLENTISSIMO  
PRAENOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS. CONSULTISSIMIS  
PRUDENTISSIMIS  
D O M I N O  
CHRISTIANO. FRIDERICO  
WILISCHIO

DOCTORI. THEOLOGO  
SACRORVM. FREIBERGENSIVM. SVBVRBICARIARVMQVE  
ECCLESIAE  
ANTISTITI. GRAVISSIMO  
PASTORI. AC. ANTESCHOLANO. PRINCIPI  
INCOMPARABILIS. RELIGIONIS. SACERDOTI.

VT. ET  
QVORVM. NVTV. ET. AVSPICIS. REGITVR  
INCLVTA. IN. HERMVNDVRIS. CIVITAS  
FREIBERGA

CONSVLIBVS  
SYNDICO  
PRAETORIBVS  
CVNCTISQVE  
PATRIBVS. ORDINIS. SENATORII  
CONSCRIPTIS  
HONORATIS. PERSONIS  
MAECENATIBVS. SVIS. PROCVLEIIS. AC. BAREIS  
VERE. PATRONIS  
AETERNVM. DEVENERANDIS  
HAEC  
DE. AETERNIS. PECCATORVM. POENIS  
MEDITATA  
SACRA. SVNT

ACCIPITE. IGITVR. SVLTIS  
HOC  
QVALECVNQVE. PIETATIS. ERGA. VOS. MEAE

MONVMENTVM

QVOD

NON. HORTATV. NON. VOCE. IVSSVS

SED

BONA. PIAQVE. MENTE. MOTVS

FELICITATEM. PERENNEM

VOBIS

ET. AETERNA

SED. SERO

OB. EXIMIVM. IN MVNICIPES. AMOREM

GAVDIA

PRECATVS

VESTRIS. NOMINIBVS

DO. DICO. DEDICO

MVNICEPS. VESTER. ET. PERENNISERVVS

AVTOR

M. GEORGIVS. CHRISTIANVS. WOLFFIVS

CONSPECTUS  
PRIORIS SECTIONIS.

§. I. *Homines, quæ volunt, credunt etiam libenter.* II. *Illustratur exemplo eorum, qui redemptionem ex inferno asserunt.* III. *Num ille, contra quem præsertim disputatur, huc quoque pertineat, quæritur.* IV. *Ex ejus sententia non sequitur, quod inde derivare studeat.* V. *Errores circa damnationem impiorum proponuntur.* VI. *Instituti præsentis ratio exponitur.* VII. *Rationis sibi relicte habitudo ad dogma de æternitate pœnarum infernalium.* VIII. *Argumentum generale pro æternitate pœnarum in inferno.* IX. *Argumentum speciale I. ejusque vindictio contra Autorem cujusdam Dialogi, superioribus annis, de Restitutione omnium, editi.* X. *Ejusdem argumenti assertio contra Socinianos.* XI. *Argumentum II. ejusque vindictio contra Grotium.* XII. *Nec non contra Autorem citati Dialogi.* XIII. *Argumentum III. ejusque contra eundem vindictio.* XIV. *Henrici Mori atque Tillotsoni confutatio.* XV. *Argumentum IV.* XVI. XVII. XVIII. XIX. *Ejusdem ulterior deductio atque vindictio.* XX. *Argumentum V.* XXI. XXII. *Argumentum VI. & VII.*

CONSPECTUS  
POSTERIORIS SECTIONIS.

§. I. *Proponuntur dubia, quæ contra justitiam diuinam moventur.* II. *Generalis circa illa admonitio.* III. *Specialis ad ea responsio.* IV. *Defenditur contra Tillotsonum V. contra Clericum, VI. contra aliam Tillotsoni exceptionem, VII. contra Episcopium.* VIII. *Altera responsio.* IX. *Confirmatur contra nonnullos ex nostratibus, X. Aliæ responsiones examinantur.* XI. *Corrigitur Tillotsoni responsio.* XII. *Exponuntur, quæ Saurinus regevit, & contra Clericum defenduntur.* XIII. *Removentur dubia contra bonitatem diuinam.* XIV. *Finem disputationi imponit meditatio Saurini.*

## S E C T I O I.

## §. I.

**N**on sine insigni veritatis dispendio, a plerisque mortalium in hoc maxime peccari solet, ut, quæ molesti aut ingrati aliquid secum affert, veritatem, non solum difficulter admittant, sed & libenter infirment, nulli fere parentes labori atque operæ, ut aliquid inveniant, quo acerbum illud, quocum veritas aliqua coniuncta est, diluant. Iidem illi nihil libentius credunt, nihil facilius sibi persuadent, et nihil magis acceptum gratumque reputant, quam quod corrupto carnis appetitui exoptatissima promittit blandimenta. Hoc, se, dicunt, concipere, immo, meridiano sole clarius percipere posse, clamitant. Ut verissimum omnino appareat verbum Cæsaris: *Quæ volumus, ea etiam credimus libenter.* (a) Hinc non solum in vita communi efficacissimi errores, sed &, quod triste dictu, in divinitus acceptæ sapientiæ doctrina multiformes opinionum lernæ enascuntur. Graviter de ista miseria suo jam tempore conquestus est HILARIUS, *Pictaviensis*

(a) De hoc generis humani morbo pluribus differit Dn. D. JOH. LAVR. MOSHEMIVS, *Dissert. de felicitate eorum, qui pura mente sunt, ad Matth. V, 8,* quæ continetur in ejusdem *Primitiis Julii, p. 44, sq.*, ubi ex Leibnitio cujusdam hominis adducit exemplum, qui Nostradami somnia pro divinis habuit oraculis, & sacris tamen scriptoribus omnem fidem derogavit, nec non alius cujusdam, qui novi Fœderis libros omnes sprevit, Apocalypsin solum recipiens, quoniam, ex ea lapidem philosophorum conficiendi artem hauriri posse, putavit. LEIBNITIVS, *Remarques sur l'Enthousiasme, §. XXXIX, Recueil des Pièces Philos., T. II, p. 267, Mr.*, inquit, du Son, habile Machiniste de l'Electeur Palatin Charles Louis, croioit les Propheties de Nostradamus, & ne croioit pas celles de la Bible & un Juif de Pais-bas ne recevoit de tout le nouveau Testament que l'Apocalypse, parce qu'il y croioit trouver la Pierre Philosophale.



vienſis, Libro ad Conſtantium Auguſtum, periculoſum, inquiens, nobis admodum atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores, & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt, dum aut ita fides ſcribuntur, ut volumus, aut ita, ut volumus, intelliguntur. Quæ non ſine injuria de his quoque, quibus omnia in pejus ruunt, temporibus dici poſſe, quis non intelligit, qui ingenuus eſt? Ita enim maxima fere pars hominum ſuis delectantur peccatis, ut fieri non poſſit, quin religionem, peccata deteſtantem, iisque quæque horrenda comminantem, odio habeant. Ita ſententiis ex trivio ſumtis tenentur & conſtringuntur, ut argumentorum, quæ pro ea pugnant, vim atque robur haud percipiant, quemadmodum Academiae Juliæ Theologus commemoratus, non ſine cauſa, queritur (b).

§. II.

Hujus rei exemplum, idque fatiſ luculentum, exhibetur nobis in hiſtoria dogmatis de ſempiterna omnibus damnatis aliquando; perferendorum cruciatuum duratione, dogmatis, inquam, tot muniti argumentis, ut mirum ſit, adeo multos de induſtria, quaſi in ipſa luce, cœcutire oculosque ocludere. Sed, quia hæc veritas ita comparata eſt, ut homines improbos, quoties eam ſecum animo volvunt, non poſſit non in ſummum terrorem, perturbata ſecura voluptatium fruitione, conſpicere, quotquot aliquid humani adhuc poſſident, factum exinde eſt, ut omni ſtudio laborent, ad hanc veritatem penitus labefactandam, in iſtam, haud licet conſpecti, tranſeunt ſententiam, Deum non adeo crudelem fore, nec homines ſempiternis cruciatibus affecturum eſſe. Quomodo enim alias bonitas & juſtitia divina ſibi conſtare poterunt? quærent, ſcilicet ne omnem pietatis ſpeciem exuiſſe videantur. Hinc illis opinio eorum, qui damnatorum ex orco redemptionem admifere, dignior, uti præten-

A 3

dunt,

(b) MOSHEMIVS, in diſp. diſt. p. 43.

dunt, Deo, ejusque attributis convenientior, magis ad palatum est, quo ipso sibi ipsis, de pœnis suorum scelerum, quod tamen rarissime fieri solet, sollicitis, periculosissima necunt solatia, & impietati suæ pessimum incertissimumque pulvinar supponunt. Non vero, omnium hac in re errorem ex uno & eodem fonte prodire, affirmare audeo: Sunt enim qui hic bona fide errarunt, & humana benevolentia decepti mihi esse, omnino videntur, ut in eos quadret, quod SALVIANVS, *L. V, de Gubernatione Dei*, de quibusdam suo tempore a regia veritatis via decedentibus ait: *Errant, sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se Dominum atque amare, credentes.*

## §. III.

Cui autem classi recens *Scriptor anonymus* cujusdam *Dialogi in regno gratiæ, inter Theophilum Lebrecht & Dositheum Eleison*, qui de *universali omnium restitutione* inscribitur, (c) quo suppliciorum, pro peccatis post mortem sustinendorum, perennitatem penitus infringere studet, accenseri possit, mihi dijudicandum non sumo, sed cordium ferutatori relinquo. Sequiori ne annumeraretur classi, declinare conatus est, hoc maxime nomine, quod suum errorem de commodis egregiis, inde derivandis, commendat. Namque egregium censet esse medium, quo animi multorum in multis cœlestis doctrinæ capitibus dissentientium, facili opera conciliari possint, & homines, diversis alioquin sacris operantes, ad unionem, frustra toties tentatam, pertrahi

(c) Prodiit superioribus annis, Græcii, liber quidam, qui in scribitur: *Die über alle ihre Feinde und Lasterer triumphirende allgemeine Liebe Gottes*, qui varia Peterseonii, de restitutione omnium agentia, continuit, & inter alia Dialogum Dosithei & Theophili de eodem argumento, editum a Petro Serario. An forte cum hoc Dialogo prolixus idem sit, ignoro. Refutavit integrum istum librum ZACHARIAS PORZIG, in scripto: *Triumphirende Wahrheit oder unumstößlicher Beweis, daß die Hölle - Pein unendlich sey.* Altenburg, 1722.

trahi (d). En vinculum, quo putantur cœtus universi, & totus terrarum orbis, in mutuo amore coalescere posse, dummodo admittatur hoc, quod nemini, neque propter errores in capitibus fidei, neque propter peccata & scelera gravissima, æterna supplicia adjudicanda a Deo sint, sed omnes tandem eandem æternam felicitatem, licet non eodem tempore, sint adepturi. Tantum itaque ex sententia Anonymi nostri abest, ut hæc sententia pietati, ejusque incremento, detrahat, ut potius concordiam atque amorem et diversissimarum Ecclesiarum unionem pulchre promoveat. At quam infirmo hæc consistant talo, & quam lubrico fundamento spes efficiendæ unionis nitatur, non multa demonstratione opus esse judico. Si enim ponas, infernales peccatorum aliquando cessaturos esse cruciatus, quotnam quæso illarum religionum, quarum unionem Noster intendit, sibi objici patientur, suis cultoribus post hanc vitam, licet non sempiternam, satis longinquam tamen atque exquisitam, manere vindictam? Nonne novæ excitabuntur lites, cum pleræque sectæ suis asseclis, promissione salutis æternæ, statim in mortis & alterius vitæ confinio, non vero demum post exsolutas per aliquod temporis spatium pœnas, inchoandæ blandiantur?

§. IV.

Multo faciliori consequentia summum periculique plenissimum incommodum, maximum puta gradum perversissimæ securitatis, inde derivari, tam planum est, ut nihil supra. Cum enim inter homines, qui veritatem æternorum suppli-

(d) Vide citatum Dialogum, p. 17, ubi Theophilus ita verba facit: *Ich halte die allgemeine Erlösung oder endliche Wiederbringung aller Dinge vor das beste und leichteste Mittel, den ersten Geist der Sanftmüthigkeit und Liebe wiederum in der Menschen Hertzen einzusößen, wenn man glaubte, das niemand wegen seiner irrigen Meynungen in der Religion, oder wegen seiner zeitlichen Sünden, gantz und gar ohne alles Ende zur Ewigen Pein werde verdammet werden. Dieses Würde zwischen den unterschiedenen Nationen und Religionen das Band der Liebe wiederum erneuern.*

suppliciorum, omnibus impiis aliquando subeundorum, assensibus assensum suum non denegant; haud pauci nihilofecius inveniuntur, qui, neglecta istius assidua cogitatione, malitiæ atque proterviæ se totos tradunt; quid, quæso, ab illis tibi promittes, qui neque seponunt saltem attentionem, neque solum dubitant de æternitate pœnarum, sed, quod plus valet, contrarium errorem pro veritate amplectuntur. Recte GREGORIVS M., L. XXXIV *Moral.*, c. XI, *Antiquus*, scribit, *iste persuasor in membris suis, id est, in membris iniquorum, futuras pœnas quasi certo sine determinat, ut eorum corruptiones extendat & eo magis hic peccata non finiant, quia ista affirmant peccatorum supplicia finienda. Sunt enim, qui idcirco peccatis suis ponere finem negligunt, quia, habere quandoque finem futura super se iudicia, suspicantur.*

## §. V.

Promissiones vitæ æternæ utraque manu arripiunt diffidentibus, & felicitatem beatorum, nullis unquam seculis finiendam, concedunt. Comminationes autem æternorum suppliciorum ita comparatas esse, opinantur, ut fidem iis adhibere, deque illis summo jure dubitare se posse, existiment. Excipiunt, justitiæ divinæ has pœnas aduersari, proportionem inter pœnas & peccata cum HORATIO requirentes:

- - -  
ad sit

*Regula peccatis, que pœnas irroget æquas,  
Nec scutica dignum horribili scelerè flagello.*

illumque justum habentes qui - - - *res.*  
*Ut quæque est, ita suppliciiis delicta coercet.*  
*Si quis eum servum, patinam qui tollere iussus,*  
*Semesos pisces, tepidumque higurierit jus,*  
*In cruce suffigat; Labeone insanior inter*  
*Sanos dicatur.*

Cum bonitate porro divina æternas peccatorum pœnas multo minus conciliari posse, sibi persuadent, quem in finem testimonia Spiritus S., de æterna damnatione, ita restringenda

da esse, monent, ne his maxime attributis divinis advenferentur. Hinc damnatos aliquando, vel in nihilum redactum iri, quod *Socinianorum*, vel, post diversa secula, a Deo in gratiam receptum iri, quod *Origenistarum*, (e) *Anabaptistarum*, & eo-

(e) Differentiam aliquam inter *Origenis* & *Peterfenii* sententiam intercedere, patet ex *HVETII Origen.*, L. II, qu. XI, n. 19. Namque, non poenarum duntaxat, sed felicitatis etiam tempus, certis circumscriptum esse terminis, voluit Origenes. Et sane recentiores ἀποκαταστασιως defensores ita saepe loquuntur, ut cum Origene eundem videantur errorem errare. Ita enim *Noster*, p. 26. *So lange die Zeit Zeit seyn wird, werden auch revolutiones seculorum seyn, die Veränderung mit sich bringen, und zwar mehrentheils immer bessere, von Grad zu Grad, biß die Secula alle verlossen seyn werden, bey deren Vollendung sich das Geschöpfte im Höchsten, in seinen Gott und Schöpffer, perfectioniret und mit demselbigen vereiniget, und all- da das Ende in seinem Anfang wieder antrifft.* Sæpius etiam ita loquuntur: *Das Geschöpf werde sich wieder in seinen Schöpffer vertieren.* Quibus verbis, nisi me omnia fallunt, aut finem creaturæ, adeoque & ipsius felicitatis, quam possidet, asserunt, aut verba sine sensu proferunt. Quod ad originem sententiæ Origenis attinet, illum in Pythagorico-Platonismo reperiri, non incredibile est. conf. *ORIGEN.* d. I. n. 20. Certe *PLATO*, in *Phædone*, Socratem inducit docentem, mortuos ab eo demone, qui viventibus ipsis obtigerat, deduci ad inferos, & post longa deinde temporis spatia, revocari. Idem, *L. X. de Rep.* ex heri ejusdam Armenii persona animas narrat ex cælo sub terras, ac vicissim ultro citroque, remeare; Quæ cælo fruuntur, deliciis illic & gaudio perfundi; Quæ sub terris agitent, illic *χρηστῆν ποσειδων* capessere, ac inde tandem exire. Docebant, pariter *PLATO* & *PYTHAGORAS*, revolutionem animarum, interveniente purgatione. Hunc errorem primus in Ecclesiam intulit seculo secundo Marcus, Valentini Discipulus, quem postea Gnostici, & demum seculo tertio Origenes, propalarunt. Equidem non defuere, qui Origenem ab isto errore defendere conati sunt, quos inter maxime eminent *GENEBRARDVS*, in *Collectaneis de vita & scriptis Origenis*, nec non *PETRVS ALLOIXIVS*, de *vita Origenis*, quibus Celeberrimus *DN. WOLFFIVS*, in *disp. Inaugurali de re- ante Manicheos*, p. 521, & *D. GRAPIVS*, in *disp. Inaugurali de re- stitutio-*

B

& eorum, qui his temporibus *Peterfenium* sequuntur, commentum est, non sine periculo asserunt, utroque assero lædentes

*situatione omnium, subsect. III, §. I, not. 3, HVEIVM addunt. Sed quæ adducit Huetius pro Origene, illa non allegat eum in finem, ut Origene ab isto errore liberet, sed ut ostendat, inconstantem ac hæsitantem fuisse eum. Namque omnino, d. l., n. 16, probat, idque satis prolixè, Origene hujus sententiæ fuisse. Hominis, inquit, esset intemperantis, neque satis tempori parcontis suo, quæcumque vesania hac oblita in Origenianis Commentariis reperitur lectori reconferenda objicere: Adeo multus est in hoc dogmate prodendo & odiosus Adamantius. Præterea ipsemet Alloixium refutat, n. 26, Petrus Alloixius, inquit, duobus fere modis objectum Adamantio crimen amoliri studet: Nam vel cum conatur ostendere non dixisse quidem damnatos & demones ad superiora regressuros, sed regredi tantum posse, idque certis quibusdam conditionibus, quæ cum neutiqum possint contingere, non aliter intelligendum Origene, ac si omni penitus liberatione diabolum damnatosque homines privasset. Sed solide probavit Huetius contrarium, ex testimoniis, non *υποδερμῶς*, sed absolute & simpliciter damnatis & dæmonibus vitam æternam pollicentibus. Altera Alloixii defensio nulget multa Origene loca, quibus æternæ pœnæ atque ignes diabolo atque damnatis adscribuntur. Tota igitur vis argumentationis, in vocis *αἰωνῆς* significatione posita est. Sed facile apparet, Origene talem huic voci affinxisse significatum, qualem illi a scriptoribus sacris inditum fuisse censebat. Quarto seculo de erroris atrocitate nonnihil remittere sunt visi, qui Augustino & alijs Misericordes, vel etiam Fratres misericordiæ, dicuntur. Hi enim misericordiam ad solos homines restringebant. Quæ sententiæ, cum concilii Constantiopolitani autoritate ab Ecclesia proscripæ essent, nullus iisdem relicto fuit locus, nisi quod Taulerus & Mystici, dum omnes creaturas divina ex essentia emanasse, ad eamque aliquando refluxuras esse, crediderunt, iisdem saltem, per imprudentiam, favere visi sunt. Seculo tamen decimo quarto, velut ab orco, sunt revocata, ubi anno illius XXXII Lollhardus Waterus, Magister & Princeps scholæ hæreticæ illius sectæ, quæ sese magno numero per Austriam, Moraviam Bohemiamque diffuderat, errores suos occulte inter mulierculas maxime disseminavit. Docuit autem post alios errores*

dentes potius divinam justitiam, quam tuentes (f). Posterioribus annumeramus nostrum etiam Anonymum, qui citatum Dialo-

errores Luciferum cum dæmonibus suis cælo pulsus tandem beatitudini cum omnibus suis restituendum esse. Post duo vero secula ab Anabaptistis recepta fuit, quorum e numero jam a 1527. Joh. Denckius, vir alioquin doctus, peculiari libello sententiam hanc defendit. Seculo denique superiori Peterfenius, tanquam alter seculi nostri Origenes, ἀποκατάστασιν πάντων, tribus tomis, in forma majori editis, defendit, acceptam forte a societate Philadelphica in Anglia, cujus se membrum professus est. Uberius historiam hujus erroris explicuit Celeberrimus D. WERNSDORFFIVS, in *disp. de Fanaticorum restitutione omnium, thesi VI.*

(f) Utrasque sententias Origenis atque Socinianorum PETERVS JVRIEVS ita inter se comparavit, ut, Origenem satis periculose, Socinum autem magis impie, errasse, censeat, propterea quod Sociniani corporis & animæ in morte annihilationem statuerent atque ita, immortalitatem animæ negantes, Epicureorum vestigia legerent. Contrarium autem, & quidem jure, ut mihi videtur, defendere sustinuit SAVRINVS, in *Examine Theologiæ Juricæ p. 688*, ita differens: Majus certe minatur periculum, asserere, damnatos aliquando vitæ æternæ æque, ac electos, participes futuros, quam eos penitus aliquando annihilandos esse. Sequitur enim, Origenis errorem impiis longe dulcius solatium promittere, translationem nempe in statum beatorum, quam quidem Socinianam hæresin, annihilationem solum peccatoribus pollicentem. Si enira rem recte perpendamus, præstat omnino, post finiti temporis cruciatus, sempiternæ felicem esse, quam plane non esse. Utrumque errorem perniciosissimum esse Saurinus fatetur, sed perhibere, Socinianos magis impie errare quam Origenem,

*hic nigra succus loliginis hæc est*

*Aerugo mera,*

Cujus etiam causam non inepte his verbis suppeditavit: Amor in illos, qui ante aliquot secula jam defuncti sunt, promptius atque facilius plerumque fertur, cum illorum merita & laudes nostræ non ita fiat expositæ invidia, ac recentiorum. Hinc, ut de adversario, qui nobis contradicit, & sua fama nostræ obesse videtur gloriæ ac nominis celebritati, benignius feramus sententiam, haud perfunctoria

Dialogum conscripsit, contra cujus exceptiones æque, ac aliorum, eo magis nobis stabilienda est veritas æternæ damnationis, quo periculosus est hac in re errasse, & quo magis contrarius error in vitam & mores hominum influit (g).

## §. VI.

philavitiæ omnis abnegatione opus est, id quod plurimis ægre procedit. Cum Saurino CARVS LAREBONIVS facit, in *Janua cælorum referata*, p. 96, credere, inquit, tandem fore, ut omnes mali, ne Diabolis quidem exceptis, satis pœnarum Deo dederint & Deum placatum experiantur, multo plus videtur nocere justitiæ divinæ, quam dogma Socinianum, de annihilatione reproborum post longas pœnas. Nam destructio illa, si minus pœnæ genus est gravius, ut quidam existimant, quam æternitas infelix, rationem tamen habet pœnæ, ideoque non officit juribus severi & justii legislatoris. Conf. BÆLIVM, *Lex. Crit.*, p. 2257, qui præterea observat, Juricum duos commisisse errores, exprobratione dignos. Primo enim, inquit Bælius, Sociniani non statuunt, impios post hanc vitam nullas plane pœnas esse perpessuros, sed saltim, eas aliquando cum annihilatione impiorum cessaturas. Deinde, si vel maxime aliqui e Socinianiis hæc traderent, hoc ipso tamen neutiquam Epicureis sunt accensendi. Eorum enim dogma erat, Deum neque mortem neque vitam hominum curare, sed cum corpore simul animam perire, quippe quæ in certa quadam atomorum compositione consisteret. E contrario Sociniani, concedunt animas ea esse natura, ut immortales sint, nisi Deus easdem ex justo judicio destrueret, id quod omnipotentis divinæ nemo, sine summæ temeritatis nota, denegabit.

(g) Plures, qui hunc fovere errorem, nominatos vide in commemorata *Dissert. D. WERNSDORFFII*, cui adde *Relationes Theologicas, ad A. MDCCII*, p. 125. GVILJELMVM POSTELLVM, qui, in *Clavi absconditorum*, eandem sententiam defendit, eam alibi revocasse, observat B. ITTIGIVS, in *Diff. de Postello, Adârtamento III*. Referendi quoque huc quodammodo sunt, qui, statis temporibus, pœnas damnatorum remitti, credunt. Notum est sabbatum infernale Judæorum, qui eo momento, quo ipsi in terris sabbatum incipiunt, damnatos evocari ab angelo, dato ad requiem signo, & statim, quo momento illud finiunt, revocari ad pœnas perhibent. Conf. *Diff. Giessenf.* Tom. IV. *Diff. IX*, c. II, th. 2. Quemadmodum etiam PRV-DENTIVS, in hymno quodam, pro certo habet, damnatos, quovis anno,



§. VI.

Ad duo vero potissimum labor meus qualiscunque sese extendet, I.) ut haud precario evincam, pœnas damnatorum omni fine carituras, vereque perennes futuras esse, & II.) ut pro viribus explicem, hoc nequaquam divinæ justitiæ atque bonitati repugnare. Quod opus, cum ad tuam, Summe Deus, rem agendam a me sit susceptum, ut scilicet justifice- ris in sermonibus tuis & vincas, quando judicaris, facias, quæso, ut strenue, assistente mihi tuo auxilio, peragatur.

§. VII.

Equidem, si secundum solam rationem lis omnis esset componenda, redemptionem damnatorum ex inferno adeo absurdam non videri, imo ope illius perplexissimas difficul- tates, quibus doctrina de origine mali, ejusque cum justitia & bonitate divina conciliatio, premitur, melius solvi posse, si finis pœnarum in inferno admittatur, non diffiteor (h). Siquidem ex sola Theologia naturali demonstrari æternitas pœnarum nequit, & nisi homo se subiciat Spiritui S. ejus- que essatis, falli nesciis, vix cuiquam assensum eripiet. Illis tamen ne latum unguem cedimus, qui, dogma nostrum cum

anno, illo, quo Christus ad inferos descendit, die, a tormentis suis re- quem habere. Ita enim in *Hymno V, Cathemer. v. 125.*

*Sunt & Spiritibus sepe nocentibus  
Pœnarum celebres sub hyge serena,  
Illa nocte, facer qua rediit Deus  
Stagnis ad superos ex Acheronticis.*

Et v. 133.

*Marcent supplicii Tartara mitibus  
Exaltatque sui carceris otio  
Umbrarum populus liber ab ignibus:  
Nec fervent solito flumina sulphure.*

(h) JOH. CLERICVM systema Origenis Bælio opposuisse, constat. Præstitit autem hoc variis in locis, & quidem in *Parrhasianis, T. I, p. 307, ut & in Bibliotheca selecta, Tom. VII, p. 331, IX, p. 103, sicq X, 364.*

cum omni ratione pugnare, docent. Lumen enim revelationis atque rationis sibi invicem non contrariatur, verum optime conspirat. Et, si vel maxime conciliationem hujus dogmatis cum ratione dare non possemus, nondum tamen, nullam prorsus esse convenientiam, concludi posset. Temerarium enim est, ob dubium aliquod, cui satisfacere non possumus, veritatem aliquam adeo clare revelatam, ut nihil supra, admittere nolle. Tali vero in casu fidem de ratione triumphare, pulchrum est & maxime necessarium. Sociniani, quos, rationi nimium assurgere, novimus, Philosophis, qui dogma illud rationis decempeda emetiri irrito conatu voluerunt, omnem scrupulum arque offendiculum remoturi, æternas impiorum pœnas negarunt, hanc ob causam, referente BÆLIO, *sub Articulo Socinus*, ut ne hoc ipsum dogma obstaculo illis esset, quo minus ad revelatam religionem se converterent. Addit præterea, futurum esse, ut is, qui rationem hic in consilium vocet, & notionem Dei, tanquam Entis summe boni atque benigni, secum volvat, omnino offendatur per ea, quæ Sacræ Literæ de suppliciis impiorum, eorundemque æternitate, asserunt. Deus Optimus, Maximus (i): Ita Gentiles consueto nomine Deum appellabant, neque invenimus, quod Severissimi & Implacabilissimi illis venerit nomine (k). Quæ Summum Numen

(i) Bonitatis divinæ egregia & homine Christiano non indigna testimonia Ethnicorum sunt, prout ea collegerunt PFANNERVS *Systemate Theol. Gentil.*, c. II, §. 23, & HVETIVS, *Alnet. Quest.*, L. II, c. II, §. 5. Insignis est CICERONIS locus, L. II, de *Natura Deorum*: *Sed ipse Jupiter, ait, i. e. juvenis Pater, quem conversis casibus appellamus, a juvenando, Jovem, a Poëtis pater divinumque hominumque dicitur, a majoribus vero nostris Optimus, Maximus quia majus est, certeque gratius, prodesse omnibus, quam opes magnas habere.* Plura de hac omnibus gentibus cognita bonitate divina vide in *Lexico BÆLII*, sub *Pericle*.

(k) Tametsi Deum a gentilibus ita denominatum esse haud legamus,

Numen appellandi ratio optime cum Sacris literis convenit, quæ fere totæ sunt in eo, ut nobis Dei bonitatem, amorem atque misericordiam revelent. Itaque quamdiu nos doctrinæ Evangelii non submittimus, pergat ita BÆLIVS, tamdiu horrendum apparebit dogma de perpetua damnatorum miseria. Et tale etiam semper visum est Socinianis, rationem sub obsequium fidei cogere nolentibus, & propterea finem supplicii ponentibus, hoc simul sine intento, ne aliquos hac sententia tam absona, ut illis videtur, a religione sua arcerent. Et ipse CLERICVS asserit, cum melius sit esse Origenistam, quam incredulum, cedendum omnino esse illi qui ad Evangelium convertendus, solo hoc dogmate offenderetur. Sed pauci erunt, quos illud ita offendet, ut cum

gamus, non desunt tamen æque clara testimonia justitiæ divinæ, atque bonitatis, quæ non attendit BÆLIVS, cum forte susceptæ hypothese non ita infervirent. ARISTOTELES, sive quicumque alius scriptor, in *Libro de Mundo, c. VII, ita differit: Deus, ut ex vetusto verbo proditum, principium, & finem, & media, omnium rerum tenens, restaque linea incedens, operatur ille quidem secundum naturam, e vestigio comitem habens justitiæ præsidem, quam Dicen nominaverunt, divinæ legis vindicem, simul ut quicquam sanctionum ejus prætermisum est.* De hac dicit HESIODVS, *L. I, ægæ, VALLA* interprete:

*Ille quidem virgo est supero Jove nata parente,  
 Nomine clara suo, cætuque verenda Deorum.  
 Quam si quis violet, lacrymans sua sata, parentis  
 It Jovis ante pedes & lamentabile fundens,  
 Humanor queritur mores & debita poscit  
 Supplicia in populos.*

Quid, quod Deus a gentilibus peculiari, si non severissimi, nec implacabilissimi, alio tamen fere æquipollenti, Ultoris nomine, vocatus sit. Cui Deo Ultori ab Agrippa Romæ dicatum esse Pantheon, PLINIVS refert, *Hist. nat. L. XXXV, c. 15.* Neque Scriptura Sacra, in commendanda divina justitia atque nemesi, parcior est, quam in inculcanda bonitate, quemadmodum multa testantur loca, testatur insuper maxime sanguine ipsius filii Dei facta pretiosissima redemptio generis humani.

cum THEODORO CAMPHVSIO (l) faciant, dummodo ratione recte uti consuecant, & generatim perpendant, an rite procedat ille, qui, quoniam, ob finitum suum intellectum, difficultates quasdam solvere non potest, cum amplitudinem civitatis Dei, rationem finium ac consiliorum divinorum & hujus universi harmoniam intelligere sit solius sapientissimi atque omniscii Dei, (m) clarissimis tamen dictis Scripturæ omnem statim mittit nuntium.

## §. VIII.

(l) Hic CAMPHVSIVS, Pastor fuit Remonstrantium in pago Ultrajectino, natus an. MDLXXXVI, mortuus MDCXXXVII. Autor fuit variorum scriptorum Belgicorum, in quibus poemata quædam sacra atque cantilenæ fuere, ita eleganter compositæ, ut jam vicefies editæ sint. Fatetur vero hic Camphusius, in epistola typis expressa, & canticis adjuncta, se pronum fuisse ad relinquendam omnem religionem, donec inciderit in illos libros, qui docerent perpetuos ignes & æternos cruciatus nihil esse. Conf. CLERICVM, in *Bibl. Sel.*, T. VII, p. 325.

(m) Commendari hoc loco meretur modestia illorum Philosophorum, qui recte monent, ut, ne carceres ratiocinandi temere migremus, probe observemus has regulas. 1) Ne ultra principia cognitionis humanæ, 2) neque ultra existentiam divinam & 3) ne ultra voluntatem divinam, progredi conemur. In ultimam regulam impingunt illi, qui res transcendentales accurata atque disciplinali cognitione comprehendere atque a priori intelligere volunt, Cautè illud principium sufficientis rationis, secundum quod nihil esse dicitur, cujus non detur sufficiens ratio, propter quam, hoc, & non alio, modo, sit, ad veritates metaphysicas applicandum. Rectè enim D. CLARCKIVS, in *Responsione tertia ad Leibnitium*, monet, rationem istam sufficientem sæpe non alibi, quam in voluntate divina, esse querendam. Cujus enim hominis intellectus rationem omnium divinorum operum a priori comprehendere potest? Sane multæ inutiles & nimis curiosæ quæstiones inde ortæ sunt, dum multi audacius de imperferutabilibus viis atque operibus Dei sufficientem rationem reddere voluerunt, v. g., cur, & qua ratione determinante, Deus hunc mundum, præ mille aliis, qui erant possibiles, elegerit, atque ita condiderit, ut nunc est, item, cur Deus hominem sibi ipsi reliquerit, & libero arbitrio, quo eum videbat abusu-

§. VIII.

Ita proprie vero Scriptura S. finem miseriæ damnatorum negat, ut, nisi hæ, quibus utitur, expressiones, æternitatem absque fine denotent, ego nesciam, quæ aliæ commemorari possint. Quæ consideratio argumentum generale mihi suppeditare potest tale: Si Scriptura omnes illas phrasès, quæ quidem durationem alicujus rei perpetuam denotare possunt, adhibet, de cruciatibus pœnisque damnatorum loquens, ne minima quidem species subnasci potest, quæ obtendatur hypothèsi contrariæ.

§. IX.

Fundata autem antecedentis veritas est I. in positivis Scripturæ S. dictis, in quibus pœna ista damnatorum subinde *æterna* vocatur, vel *ignis æternus*, Matth. XVIII, 8, *interitus æternus*, 2. Thess. I, 9, *vincula æterna*, Jud. v. 6, *caligo tenebrarum æterna*, v. 13, 2 Petr. II, 17. Ad hæc loca Autor citati Dialogi illud petit effugium omnibus commune, qui ejusdem sunt cum eo sententiæ. Excipit enim voces ער, עירל, *aión*, notare tempus nobis incognitum, mysticum, at determinatum tamen atque finitum, id quod etiam ex locis, Exod. XXI, 6, & Levit. XXV, 30, adstruit. Et in eos nos sibi neutiquam habet contradicentes, quippe qui non negamus istum quandoque significatum harum vocum offendit, sed, talem perpetuum esse in sacris literis, ipse adversarius non affirmabit, nisi absurda quæque concedere velit.

His

abusurum, instruxerit? Respondent quidem ad hoc nonnulli, factum id esse propterea, quod Deus ab hominibus amari voluisset. Ad amorem enim requiritur libertas. Est enim amor verus desiderata unio duarum voluntatum absque coactione & vanitate. Malim tamen cum B. MEISNERO dicere: Non tenemur ad quæstionem hanc curiosam magis, quam fructuosam, respondere. Sufficit nobis voluntas Dei, cujus decreta & decretorum causæ, licet nobis ignotæ, semper tamen justæ sunt. Conf. quæ Illustr. D. LEIBNITIVS, in *Theodicea de convenientia fidei & rationis*, §. 35, p. m. 103. *differit.*

C

His in locis vero, & hoc in argumento, ita eas sumi debere, non evicit. Præterea plerumque ex ipsis locis & re, de qua agitur, apparet, quando vox æternitatis debeat restringi. Quod cum hic non adeo manifestum sit, alia Scripturæ S. loca in subsidium erunt vocanda, in quibus talis asseritur æternitas, quæ absque ullo fine est, quæque istas exceptiones plane non admittit. Talia autem loca sunt, Apoc. XIV, n. ubi dicitur: *Fumus cruciatus eorum ascendet, eis ætônas ætônas*, & Apoc. XX, 10 *cruciabuntur ibi die ac nocte, in secula seculorum*. Qua phrasi Hebræi pariter atque Græci, quin & Latini, gradum superlativum describunt, prout optime annotavit B. GLASSIVS, in *Philol. S., L. III, Tr. I, Can. 16*, ut ita per secula seculorum intelligantur secula maxime infinita (n). Noster, in suo Dialogo, harum phrasium vim ita se elusisse, opinatur, si dicat, iis nihil aliud, quam valde longam durationem, a seculo uno in alterum vergentem, tandem aliquando autem, una cum seculo aliquo, cessaturam, insinuari (o). Verum, quo minus hac interpretatione contenti esse possimus, non una subest ratio. Is enim perpetuus hujus locutionis usus est, ut æternitatem sine fine denotet, quod ex inspectione aliorum locorum, Apoc. I, 6, 18, IV, 9, 10, V, 13, 14, VII, 12, X, 6, XI, 15, XV, 7, XXII, 5, patet, atque de ipsa Dei æternitate adhibeatur, cui finem adscribere velle, esset ipsum Deum negare. Deinde, si ita explicare velles istam formulam, *eis ætônas ætônas*, ut per unum-

(n) Paululum incommoda videtur esse versio Germana, quæ istam phrasin, *eis ætônas tōn ætônas*, ita reddit: *von Ewigkeit zu Ewigkeit*, neque proprium sensum phrasios græcæ assequitur, quæ, ut mihi quidem videtur, talem notat æternitatem, quæ absque fine est, non vero quæ absque initio est. Quo ipso tamen B. Megalandri versioni nihil detractum volumus.

(o) Vid. p. 24 ubi, scribit: *Wenn ihr von dem ewigen Feuer redet, so könnet ihr es nach dem Ebräischen und Griechischen in dem wahren Verstand dieser Sprachen, gleichfalls ein secularisches oder langer, ideoch endliches, Feuer nennen.*

quodque vocabulum, seorsim sumtum, seculum finitum intelligatur, videntur tamen ista vocabula, tali modo coniuncta, quali in locis nostris apparent, sempiternam indigitare continuationem, ut hac ratione in secula seculorum naturalissime nihil aliud significaret, quam eiusmodi rei continuationem, quæ per finitum seculum unum in alterum, per alterum in tertium, per hoc in aliud, & ita in infinitum, producat (p).

§. X.

(p) Cum noster ita loquatur de æonibus, ut Peterfenium prodatur, qui, varios æones a Deo statutos esse, asserit, quibus successively omnia in integrum restituere decreverit, ita, ut alii hoc, alii altero æone salvarentur, & præterea ipsa Scriptura S. sæpius de æonibus loquatur, (quamvis plerumque pluralem *æonibus* de vita æterna, non vero de pœnis inferni, de quibus & singularis sæpius invenitur, adhibeat) non frustraneus erit labor, vocabuli hujus varium significatum, in quasdam peculiare classes divisum, evoluisse, prout illum, singulari solertia, ex Scriptura S. eruerunt *Collectores Recensio-num Theologicarum*, ad annum MDCCII, p. 363. Celeberrimus DN. SAVRINVS tres regulas de explicatione vocis æternitatis dedit. Monet enim, vocabulum æternitatis tum demum metaphorice sumi debere, 1) quando illud, quod æternum vocatur, alibi tanquam finitendum describitur. Ita leges ceremoniales dicuntur æternæ, sed docent nos Sacræ literæ, istam æconomiam fœderis Divini finem habituram esse. De pœnis autem inferni Scriptura S. nunquam aliud quid insinuat. 2) Si historia sacra nos edoceat, illam rem revera habuisse finem. Sic ignis Sodomorum, Jud. v. 7, dicitur æternus. Scimus autem omnes, eum desuisse. Quæ vero historia nobis pœnarum in inferno cessationem significavit? 3) Ubi attributum æternitatis rei, cui applicatum est, naturæ repugnat, quomodo repugnat, mortalem servum Domino mortali æternum servire posse. Dogma autem de æternitate pœnarum nihil continet, quod sibi repugnet. Conf. SAVRINI *Sermons sur divers textes de l'Écriture Sainte*, p. 215, & CLERICI *Bibliothecam Sol.* Tom. XXV, p. 194. Illud & hoc loc memoratu dignum est, AVGVSTINVM fateri, in *Libello contra Priscillianistas & Origenistas*, cap. VII, geminum esse intellectum vocis *æonibus*, alias seculum, alias æternitatem notantis, at vocem *æonibus* rebus, sine carentibus, imponi solere. Quod tamen ita

## §. X.

Sociani alia ratione hæc argumenta declinare conantur, perhibentes, ignem æternum dici per metonymiam effecti, quod, quæ eo consumuntur, manebunt in æternum consumpta & in statu nihili. WOLZOGENIVS, ad Matth. XIII, 8, ita commentatur: *Ignis æternus non vocatur is, in quo res ei injecta æternum uritur, nec unquam consumitur, sed qui ita rem exurit & consumit, ut illa in æternum non restitatur in integrum, vel quæ tamdiu ardet, donec res illa plene & in totum comburatur.* Sed ita effectus ignis esset æternus, neutiquam ipse ignis, quasi dicere possem, ignem huius candelæ esse æternum, cum ea ita absumatur, ut nunquam iterum fiat, quod antea fuit. Qui sensum Scripturæ S. detorquendi modus durus nonsolum est ita, ut unicuique,

non esse facile patet ex locis duobus, quos sibi etiam objicit Augustinus, & frustra resolvere satagit. Prior sæpissime in Pentatevcho occurrit, quando, cerimoniiis & ritibus legis antiquæ institutis, dicit Deus: *Hoc vobis erit legitimum æternum.* Quamquam, inquit Augustinus, si diligentius dicta intelliguntur, ea fortassis, quæ illis sacramentis significabantur, finem non erant habitura. Ita enim, ne longius abeam, dicimus æternum Deum, non utique duas istas brevissimas syllabas, sed quod eis significatur. Quali vero, Deus, quando sancit, ut non nisi indutus tunica lini tabernaculum testimonii ingrediatur Aaron, additque, *legitimum sempiternum erit Aaroni & semini ejus post eum,* id non ad mandatum proxime institutum, sed ad mysterium, mandato hoc significatum, pertineat. Quasi has, quæ proxime scriptæ sunt, syllabas, legitimum sempiternum esse, velit, non præceptum syllabis illis institutum, quoad literam. Alter locus, Tit. 1, 2, hic est: *Spem vitæ æternæ, quam promissit non mendax Deus ante tempora æterna, negò θεῶν χρόνον.* Cum autem, inquit, retrorsum tempora a constitutione mundi habere videantur initium, quomodo sunt æterna, nisi quia æterna dixit, quæ ante se non habent ullum tempus. Atqui, nullum licet tempus tempora illa præcesserit, ab initio tamen aliquo profluere illa aliquando inceperunt, ac proinde ab anteriori parte finita sunt. Conf. HVERTII Origen. L. II, qv. XI, n. 26.



que, vel obiter rem consideranti, suspicio, coactæ ad hypothesin præconceptam interpretationis, oriatur: sed & aperte contrarius iis testimoniis, quæ ipsum actum ignis ipsamque punitionem impios in æternum male affecturam esse, dicunt, quæ, partim ex dictis, partim ex dicendis, facile colliguntur.

§. XI.

II. In negativis assertionibus, quando, v. g., Ef. LXVI, 24, dicitur, *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Quid hic propheta per vermem intelligat, cum in diversas abeant sententias Commentatores, nonnullis, Patribus præsertim & Pontificiis quibusdam, vermem naturalem, aliis vero perinde, ac decebat, vermem in sensu figurato dictum, continuos nimirum conscientia remorsus, intelligentibus, cum hujus loci non sit, nolo uberius exponere. Neque anxie mihi inquirendum est, qualis ignis, an naturalis, an supernaturalis, an corporeus, an incorporeus, sit, cum ad scopum nostrum id pertinere non videatur. Conferri interim potest D. BERNH. WAGNERI *dissert. ad nostrum locum*. Namque sufficit, ratione nostri instituti, concedere, vermem istum atque ignem æternum sine fine fore. GROTII tamen expositionem, mihi manifeste contrariam, quin adducam, temperare mihi non possum. Talem vero hujus loci suppeditat paraphrasin: *Vermis eorum non morietur, i. e., diu vermis pascetur illorum, (qui in Antiochi partibus fuerunt) cadaveribus, quia sepultura indigni judicabuntur; Et ignis eorum non extinguetur, i. e., ignis signa in oppidis incensis*. Quæ omnino ita sunt comparata, ut Celeberrimus VITRINGA, in *Commentario suo ad hunc locum*, non immerito Grocium ita exagitaverit: *Heu mihi, Vir Magne, quorsum abis? Num vermes longius eorum depascuntur cadavera, qui, sepultura indigni habiti, relinquuntur in campis, quam qui putrescunt in sepulcris? Cadavera inseputta a vulturibus percnopteris, corvis, feris carnivoris utique magis*

magis vorantur, quam a vermibus, & ab iis multo citius absumuntur & exeduntur, quam sepulta a vermibus, ut omnes norunt. Corpora sepulcris mandata eduntur a vermibus. Deinde, num incendia oppidorum & castrorum horum defectorum a Maccabeis facta ullo sermone hominum dici possunt ipsorum ignis? Ignis ipsorum est ignis, qui ipsos urit & absumit. Ignis oppidorum & castrorum, qui castra consumit. Quid ad iudicatos & moriuos attinebat, si ipsorum edes & castra longum ferrent incendii notas? Poterat id incommodum esse aliis, non ipsis. Est praeterea hic mentio de igne non extinguendo & verme non morituro, non autem longum servituro, longum rosuro.

§. XII.

Sed dispiciamus potissimum, quid Noster in suo Dialogo ad haec reponat. Huc vero illa redeunt, ut nimirum effata propheta restringat, impiosque tamdiu cruciandos esse pronunciet, donec, per ignem sufficienter purgati, se tandem, poenarum longinquitate atque doloribus victos, Deo subicerent, vermique hac ratione, concedat, non moriturum, neque ignem desiturum esse, quamdiu restarent, qui purgatione atque subjugatione indigerent (q). Verum enimvero poenas in inferno fore purgatorias atque expiatorias, illud non tam temere sibi sumere debebat Autor asserendum. Huic enim errori toties Scriptura S. contradicit, quoties, in hac vita poenitendi & bona operandi tempus esse, monet, quoties, in hujus vitae stadio rite currendum

(q) Vid. p. 27, ubi ita verba suntu: Dem dieses Feuer wird nicht aufhören, so wohl in Ansehung einer ieden Seele insonderheit so lange sie noch etwas grobes an sich hat, als auch in Ansehung der Zeiten und seculorum insgemein, so lange nemlich noch Seelen oder Geister zu reinigen seyn werden. Massen so lange dieses Feuer Materie antreffen wird, die es unterhält, wird es nicht auslöschten. Wenn aber endlich alle diese zufällige Materie der Natur durch dieses Feuer wird verzehret seyn, alsdenn wird auch dieses Feuer aus Mangel seiner Nahrung aufhören.

dum & certandum esse, inculcat, quoties, homines, dum adhuc vita superest, ex Dei gratia, propter Christi meritum, virtute Spiritus S., per verbum & sacramenta, in justificatione & renovatione, purgandos esse, docet, si gloria regno non excludi velint, & quoties, post mortem nullum poenitentiae & peccatorum remissioni locum relinquit. Conf. omnino B. ITTIGH, *Dissert. de novis Fanaticorum quorundam nostrae aetatis purgatorius* §. XI. XII. XIII. Plura etiam de hac materia infra recurrent observanda, quae hic propterea anticipare nolumus, praesertim cum Autor Dialogi asserta sua non solidis probationibus, sed loquacitate aliqua, ad alios tamen fallendos non proflus inepta, comitetur. Illud praeterea hoc loco non est negligendum, quod Christus dictum Esaiae, Marc. IX, 44, 46, 48, tribus vicibus non sine infigni emphasi repetat. Recte Celeberrimus D. JABLONSKY, in *Concione ad Luc. XVI. Wenn wir den ganzen Zweck, zusammen hang und Grund des Evangelii unsers Heilandes betrachten, erbhellet klar, daß derselbe überall eine unbeschränkte Ewigkeit, so wohl der Pein, als der Freude, so wohl der Hölle als des Himmels voraus gesetzt, und darauf seine Ermahnungen gebauet habe. Wir sehen es unter andern ganz deutlich, wenn der Heiland spricht, Marc. IX, 43, 44: So dich deine Hand ärgert, so haue sie ab, es ist dir besser, daß du ein Krüppel zum Leben eingehst, denn daß du zwei Hände habest und fahrest in die Hölle, in das ewige Feuer, da ihr Wurm nicht stirbet, und ihr Feuer nicht verleschet. Wie hette der Heiland solcher Gestalt reden können, wenn er nicht vorausgesetzt, daß die Straffe der Verdammten ewig seyn werde? Hette er gewußt, daß der Wurm nach einiger Zeit sterben, das Feuer nach einiger Zeit verleschen, und die Gottlosen so dann zur Freude des Himmels versetzt werden solten, so hette er vielmehr also reden müssen: Høret ihr Menschen-Kinder, so euch eure Hand ärgert, so hauet sie ab, so werdet ihr etliche Jahr eher seelig werden; wo ihr aber sie nicht abhauet, so wer-*  
de;

det ihr etliche Jahre später in den Himmel gelangen. His lo-  
cis negativis addatur etiam Luc. III, 17, ubi ignis dicitur  
αἰβῆτος.

§. XIII.

III. In Oppositione utriusque æternitatis, beatitudinis  
nimirum atque damnationis. Quemadmodum scilicet  
Matth. XXV, 46, dicuntur, impii abituri in pœnam sempiternam, ita iusti in vitam æternam. Adde Dan. XII, 2, ubi  
de æternitate electorum atque impiorum eadem vox adhibetur. Equidem contra illos, qui ipsius vitæ æternæ finem admittunt, qualem sententiam Origenem fovisse, ex supra dictis constat, hoc argumentum nullam exereret vim. At tamen ita comparata est exceptio aduersarii *Nostri*, ad hunc locum, ut veram omnino æternitatem felicitatis electorum videatur innuere. Præsupposita autem sunt, quibus nititur ejus exceptio, non solum *malum*, inquitentis, *habuisse initium*, ergo illud aliquando iri deletum, bonum vero, quod in creaturis est, ortum suum ex ipso Deo, omni fine atque initio carente, trahere ac proinde sempiternum esse; sed etiam addentis, non posse feri, ut creatura, essentia bona, a Deo creata, queque ex illo emanaverit, & malo accidentali constans, in hac commixtione atque compositione æternum persistat, & potius necessarium esse, ut hæc duo, utpote heterogœna, a se invicem aliquando separarentur, & creatura iterum cum creatore, ex quo emanaverit, reduniat (r). Facile hic intelligitur, deberi hæc omnia

(r) Verba Autoris hæc sunt p. 25: Wenn auch gleich die Schrift die Ewigkeit der Seligen und die Ewigkeit der Verdammten neben einander setzet, folget doch keinesweges draus, daß eine eben so lang als die andre werden müsse. Vielmehr ist jede besonders in ihren wahren Verstand und Wesen zu betrachten, mit nichten aber daraus zu schliessen, daß die Ewigkeit des Bösen mit der Ewigkeit des Guten gleich ewig und unendlich seyn werde. Massén das Böse wider Gott einen Anfang gehabt, dabero es folglich auch ein Ende haben muß, da hingegen das Gute in der Creatur seinen Ursprung und Anfang

von

omnia errori, quo creationem rerum, per emanationem ex essentia divina, explicare, vel potius implicare, nonnulli solent. Duplicem hujus emanationis sensum, crassio rem alterum, alterum subtiliorem, dudum viri docti observarunt. Crassior est, quando, id, quod emanat, ejusdem cum principio, a quo emanat, essentiae esse, existimatur. Subtilior vocatur, quum illud, quod emanat, a principio differt, & Deus dicitur, particulas essentiae suae in res creatas, tanquam vasa vacua, derivasse, quas propterea aliquando ad Deum reverti oporteat. Vtraque sententia summo cum periculo est conjuncta, priori discrimen inter creatorem & res creatas tollente, Deum & mundum pro una eademque substantia admittente, et, hac ratione, ad Spinozifinum ducente, posteriore vero immo ambabus, Deum in materiam divisibilem atque mutabilem transformantibus. Posterior praecipue sensus Kabbalisticis doctoribus proprius est, cujus expositionem Celeberrimus Dn. D. BVDDEVS, in *Historia Philos. Ebraeorum*, p. 395, talem nobis suppeditat. Illorum, inquit, *philosophia huc redire videtur, quod primum Ens, sive Aen-Soph, in se contineat omnia, in eodemque semper sit eadem entitatis quantitas in universo, sive sit in statu creato, sive increa-*

to.

von Gott selbst genommen, der niemahls einen Anfang gehabt, und also folglich auch niemahls ein Ende nehmen wird: So ihr nach diesen Grund die Ewigkeit in Ursprung des Guten und Bösen bey der Creatur wohl unterscheidet, so werdet ihr gar bald eine grosse Klufft zwischen diesen zweysachen Ursprung bestiget finden. Und wenn ihr hernach einen rechten Unterscheid zwischen der Ewigkeit des Bösen bey dem Geschöpfe, und zwischen der Ewigkeit des Schöpfers selbst macht, so werdet ihr erkennen, daß die Creatur, so aus einem ursprünglichen Guten, aus Gott gestoffenen, und von Gott geschaffenen Wesen, und aus einem zufälligen Bösen bestehet, welches sie darunter gemischet, und ihr von dem Teuffel beygebracht worden, unmöglich in alle Ewigkeit in dieser Vermischung bleiben kan, sondern nothwendig einmahl wiederum muß von einander geschieden werden.

D

10. Hinc in statu increato, seu antemundano, Deum esse omnia simpliciter, mundum autem huicce tum demum existere, cum Deus sese explicet & evolvat per emanationes & effluxus a summis ad ima, quibus constituantur diverse rerum creaturarum formæ & ordines. Sæpius itaque verba faciunt de vasis & de vasis & vasculis, quasi ad recipiendos hos effluxus, & de radiis effluentibus & de canalibus quibus decurrunt & propagantur. Donique, cum Deus retrahit hos radios atque reforbet, perire mundum externum, dicunt, atque omnia iterum fieri Deum. Præterea idem Vir Celeberrimus, Peterfenium in *μυστηρία ἀποκαταστάσεως πάντων* ad Kabbalistarum hypothèses provocasse, obiervat. Neque dubium est, ad verfarium nostrum emanationem subtiliorem illam intelligere, atque ex ea ad creaturæ restitutionem argumentari, quæ argumentatio eo minus procedit, quo magis hypothesis de emanatione creaturarum ex Deo ab omni veritate aliena est. Nisi enim per emanationem effluxum materialem tibi concipias, non poteris claram atque distinctam ejus notionem habere. Aut igitur Deum materialem fingunt, aut sibi ipsis non constant, qui creaturas per emanationem a Deo ortum traxisse volunt, quastamen ex nihilo productas, & divinæ omnipotentiae effectus, nequaquam vero divinæ essentiae emanationes, esse, Scriptura S. confirmat, Gen. I, 1 Ebr. XI, 3, Rom. IV, 17. Conferri hoc loco meretur WERNSDORFFII *diff. de Hyltheismo Panaticorum*. Perperam proinde concluditur: Creatura emanavit ex Dei essentia, atque in initio bona fuit, ergo, postquam se cum malo miscuit, aliquando est restituenda. Cum enim propositio fundamentalis destructa sit, & hac ratione nullatenus ex natura & essentia creaturæ necessario sequatur, ut aliquando restituenda sit, nihil superest, quam ut voluntatem Dei in verbo suo revelatam respiciamus, quam eo tendere, ut creatura universa aliquando redintegretur, ex sacris literis nullo cum fundamento demonstrari potest. Ex eo pariter, quod malum aliquando

quando cœperit, inferri haud potest, illud etiam fore delectum, cum pari ratione concludere possem, bonum in creaturis initio gaudere, ergo illud etiam non sempiternum mansurum esse. Et, quamvis malum divinæ voluntati sit adversum, æque tamen minus absolum est, illud a parte post æternum esse, quam quod malum oriri atque existere potuerit.

§. XIV.

Aliam exceptionem, eamque magis speciosam, contra argumentum nostrum, ab oppositione beatitudinis & pœnæ æternæ desumptum, ex HENRICI MORI *Annotationibus ad Lucem Orientalem* adducit COLLINVS, in *Discursu de libertate Cogitandi*. Comminationes enim, opinatur, non eandem producere obligationem, quam promissiones, quoniam, qui minatur, creditoris, ille autem, cui minatus est, debitoris, personam induit. Contra Promissorem obligationem sibi contrahere, præstandi, quæ promissit, fierique hoc ipso debitorem, altero, qui promissum accipit, creditoris locum tenente. Creditorem vero non necessario exigere pœnam, cum in ejus positum sit libertate, totum remittere debitum, debitorem autem teneri ad omnia illa præstanda, quæ pollicitus est. Et hanc ait esse causam, quod in ista oppositione vox æternitatis non eandem durationem significet, cum, ubi de vita æterna adhibetur, ratio promissionis, ac inde proficiscentis obligationis, alium requirat significatum, quam ubi de damnatione æterna usurpatur, & secundum naturam comminationum explicari debet (s). Præter alios (t) TILLOTSONVM quoque, celeberrimum quon-

(s) Conf. Discours sur la liberté de penser, p. 102, traduit, quæ a. 1714. prodit. Improbatur hanc versionem PFAFFIVS, *Primit. Tub. p. 35.* & recentiore ac correctiore de a. 1717. commendat.

(t) P. 104. scribit: Et le Docteur Hiches dans ses discours sur Tillotson & Burnet, p. 46, nous apprend que cinq ou six Theologiens

quondam Archiepiscopum Cantuariensem, hujus sententiæ patronum adducit, qui in sermone de tormentis damnatorum fere ad eundem modum verba facit. Putat autem hic Archiepiscopus, perspicacissimus alias Theologus, credi posse, pœnas istas minarum instar a summo Numine prænunciatas esse, ut homines eo magis rectiusque in officio contineantur; licere interim Deo, ceu summo legis Auctori, ut, quocumque tempore ipsi libuerit, clementiæ relaxet habenas, pœnisque modum ac limites ponat, si cum bonitate sua consistere non possit earum perpetua continuatio. Adducit ad illustranda, quæ dixerat, exemplum Ninivitarum. His, urget, Deum absolute interitum esse minatum, id quod etiam Jonas absolute exequendum crediderit, adeo ut ægre tulerit, se minas annunciaffe populo, destitutas effectu. Sed Deus, pergit, jurè suo utebatur, & agebat, sicut sibi visum fuit, non obstantibus minis illis, quas absolutis verbis Jonas Ninivitis annunciaverat, quamvis propheta crederet, suam fidem hoc in negotio ita periclitari, ut melius esset mori, quam pro falso propheta haberi (u). Sed non leve huic

opinio-

giens qui ont de hautes dignitez dans l'Eglise, ont été portez à adopter cette opinion par la lecture d'un Manuscrit écrit à Norwich par un vieux sceptique (c'est ainsi qu'il appelle Mr. Whitefoot.)

(u) Conf. Sermons sur diverses Matieres importantes par feu Mr. Tillotson Archeveque de Cantorbery traduit de l'Anglois par Jean Barbeyrac. Sermon. XXX, de l'Eternité des tourmens de l'Enfer p. 7. sq. Ilya, dit il, entre les promesses & les menaces, cette difference, qui est très-remarquable; c'est que celui qui promet s'engage à un autre & s'oblige, selon les regles de la justice & de la fidelité, de lui tenir sa parole. S'il ne le faisoit pas, celui à qui il se feroit engagé auroit sujet de se plaindre de lui. Mais il en est tout autrement des menaces. Celui qui les fait se reserve le droit de les executer, & n'est obligé de le faire, qu'autant que cela est conforme à ses desseins. Il peut, sans faire tort à celui qu'il avoit menacé, relâcher de ses menaces, autant qu'il lui plaît. Cette conduite ne blesse pas plus la fidelité de Dieu, qu'une semblable condui-



opinionem videtur subesse periculum, quæ divinas comminationes ita comparatas omnes esse statuit, ut vel expleri, vel revocari, pro libitu possint. Simile, a creditore ac debitore tantum, sed & iudex iustissimus, & peccata nostra sint crimina gravissima, non mera debita. Illa vero hic, contra quem crimina sunt commissa, non æque potest impunita dimittere, quam debita vulgaria, siquidem Deus seipsum negare & contra iustitiam, quæ ipsi est essentialis, aliquid agere nequit. In illis quidem comminationibus, quæ poenas hujus vitæ concernunt, videmus, non semper evenire ea, quæ Deus minatus erat. Sed nulla alia ex ratione hoc procedit, quam quod

conduite, parmi les hommes, les fait estimer infideles. Dieu menaça, en termes absolus, les Ninivites de les faire perir, & ce fut ainsi que le Prophete entendit sa menace, ce qui fit, qu'il fut fâché que Dieu l'eût employé à porter des menaces, qui furent sans effet. Mais Dieu se servit de son droit, & ne fit que ce qui lui plut; non obstant les menaces qu'il avoit ordonné à Jonas de faire aux Ninivites; quoi que ce Prophete crût que son honneur y étoit si fort engagé, qu'il eût mieux aimé mourir, que de voir les Ninivites échapper, seulement de peur d'être pris pour un Faux-Prophete. Recensuit præterea hunc sermonem Clericus in Bibliotheca selecta Tomo VII, p. 511, sq., ejus etiam elogium, quod doctissimo huic archiepiscopo dedit, ibidem vide. Illud memoratu dignum est, Tillotsonum Socinianismi fuisse suspectum, jurene, an injuria, Clericus non examinat, hoc tantum annotato, quod post mortem hujus archiepiscopi fasciculus, scripta varia, eaque satis vehementia, contra ipsum edita, continens, inventus fuerit, cui suapte manu inscripserat: Je pardonne aux Auteurs de ces livres & je prie Dieu, qu'il leur pardonne aussi. Obiter etiam notamus, Virum Celeberrimum, *Joh. Christoph Wolffium*, in *Manichæismo ante Manichæos* p. 525, hanc Tillotsoni sententiam aduxisse & in eo errasse, quod Stillingsfletum loco Tillotsoni nominet hujus opinionis patronum. Allegat etiam Clerici Bibl. Sel. Tom. IIX, cum tamen in hoc tomo de Stillingsfeto nihil occurrat, tomo autem VII, integer articulus recensendo Tillotsoni sermone de æternis poenis datus sit.

conditionem pœnitentiæ contineant, quamvis etiam ista conditio non expressis adsit verbis, quæ ex ipsius rei eventu non incommode sæpe colligitur. Et ita etiam se cum isto exemplo habet, quod TILLOTSONVS adduxit. Tametsi enim propheta Jonas Ninivitis interitum feralem, intra quadraginta dies adventurum, absolute annunciabat, idcirco tamen negari nondum potest, voluntatem divinam fuisse conditionatam. Quid enim opus fuisset, ut prophetam ad illos mitteret, qui instantem ruinam prædiceret? Cur non statim pœnas infligit, sed demum post tempus quadraginta dierum infligendas nunciat, nisi hoc ipso pœnitentiæ locum dare, eaque consecuta, pœnam auferre voluerit? At in comminatione æternorum cruciatuum talis conditionata gratiæ clausa, & spatium pœnitentiæ nullum relictum sit amplius, id quod paulo post prolixius nobis erit edisserendum. Accedit & hoc, quod verba ista, Matth. XXV, 46, occurrentia, non sint comminatoria, sed relatoria & historica, quæ nobis enarrant, quid, prolata Judicis ultima sententia, sit eventurum, & quod, v. 47, ipsa sententia Judicis nartetur deciforia, qua non minatur amplius, sed demeritam pœnam revera adjudicat, quæ eo magis in proprio sensu accipienda est, quo convenientius est, judicem aliquem clare determinare, quousque pœna debeat extendi.

## §. XV.

Quartum argumentum desumimus a mediis omnis, quo damnati possent liberari, privatione. Duo autem cogitari possunt media reconciliationis. Vel enim per aggratiationem, vel per satisfactionem, reconciliatur aliquis. Tertium enim non datur. Quod si everimus, utroque medio desitutatos esse damnatos in inferno, salvam etiam, a nobis adstructam, sempiternam damnationis durationem fore credo.

## §. XVI.

Dispicendum primo igitur, num per aggratiationem fieri

fieri possit liberatio. Vocamus autem aggratiationem gratiae collationem, gratis datam, sine satisfactione. Equidem Autor nostri Dialogi in hanc sententiam non propensus est, ut per aggratiationem liberationem ex inferno futuram esse statueret. Sunt tamen Sociniani, qui, cum de satisfactione Christi disputantes, justitiam *δικαιοσύνη* ultricem Deo negent essentialē, eumque de suo jure remittere & peccata non punire posse, asserant, hoc ipso viam ad istum errorem praeveniunt. Ita enim Socinus, P. III. de *Christ. Serv. c. I.* objicit: *Unicuique de jure suo, quantum vult remittere licet. Et, si quilibet homo potest injurias sibi illatas libere condonare, & ob eam causam laudibus ad caelum tollitur: An eo jure & potestate Deum privare audebimus, nosque infandi sacrilegii reos constituere non exhorrescemus.* Contra quos diligenter tenemus, justitiam vindicantem atque punientem Deo esse omnino essentialē, Deumque per ipsam naturam suam, quippe quae independens est, ac jure suo cedere non potest, ex ratione intrinseca sanctitatis esse supremum Judicem. Non potest enim non statui, ratione essentiali habita, in Deo amor sanctitatis atque odium peccati immutabile, quod alias concipi in eo, qui summam potentiam habet, nisi per voluntatem puniendi, non potest. Per poenam enim suo modo peccatum tollitur, quemadmodum per poenam, Christo inflictam, simul ac semel sublatum est, perpetua alias a nobis punitione eluendum. Cum itaque Deus per naturam ipsam peccata odio habeat, & infinitam, per eandem naturam, potentiam possideat, ipsa etiam justitia *δικαιοσύνη*, quae peccata punit, est Deo essentialis. Neque alias video, quomodo Filii, pro peccatis mundi traditi, ratio a posteriori dari possit sufficiens. Praeterea testantur de justitia divina vindicatrice clarissima Scriptura loca, in quibus Deus dicitur Zelotes, vindicans peccata *Jos. XXIV, 19.* Praeterea, se non posse aliter, quin vindicet, testatur Deus *Jer. V, 29, & 9.* Pluribus confirmatam hanc justitiam, atque contra Socianorum exceptiones asseritam, vide in *B.*

Scher-

Scherzeri *Collegio Anti-Socin., disp. VI, thes. 4, & disp. LIV*, nec non in *Hornbeckii Socinismo confutato*, p. 649, sq. Hæc attributa divina, quæ spectavimus, cum sint ipsa essentia divina, quæ, pro diversa ad eam habitudine objectorum, diversam accipit denominationem, aliter quidem se habere non possunt, in ordine ad peccatorem hominem, nisi hic aliam habitudinem induerit, id quod tamen fieri non potest, cum neque, quod secundo loco considerandum, per satisfactionem, sive propriam, sive alienam, Dei gratiam obtinere amplius queat.

### §. XVII.

Omnem propriam satisfactionem hic prorsus exulare, nemo temere negaverit, si, altera ex parte, infinitam Dei justitiam, altera vero, impotentiam miseri hominis, legemque, exactissimam urgentem obedientiam, & summam damnatorum corruptionem, cogitet. Et quid opus fuisset pretiosissima filii Dei morte, si homo ipse justitiæ divinæ satisfacere valuisset, quem tamen nullo modo hac pollere virtute, asseritur in Pf. XLIX, 8, 9. Cum itaque in hac vita impossibile fuerit homini, suam ipsius satisfactionem divinæ justitiæ opponere, multo minus in altera vita illud possibile fore, concludo, siquidem tunc multo abominabilior factus est peccator, finali incredulitate & malitiosa divinæ gratiæ rejectione. Ignem vero inferni, ut purgatorium atque expiatorium, sibi concipere velle contrariatur Scripturæ, quæ illum punientem peccatores, non purgantem, nobis sistit. Et, si ignis potest homines purgare a peccatis, cur Deus, animas justorum, non per eundem ignem, sed potius per sanguinem Jesu Christi, ablui a peccatis, voluit? Dicta, quæ adversarii nobis opponunt, dudum vindicata sunt a nostratibus, ut eos exhibere hoc loco non sit necessè. Unicum saltem, quod plerumque primum in acie apparet, adducam, eam potissimum ob causam, quoniam Autor Dialogi nostri ad illud quoque maluit provocare, quam in dudum suppeditata nostratum

stratum responsione acquiescere. Desumptum illud est ex i. Cor. III, 15, quo loco dici existimat, hominem, qui in hoc mundo opera fecisset mala, quæ per lignum, fœnum & stipulam indicarentur, propterea quidem satis pœnarum daturum esse, aliquando tamen per ignem salvatum iri. Quæ interpretatio, cum nullo modo scopo ipsius Apostoli satisfaciatur, merito explodi debet. Subjectum enim hoc loco non esse homines quoscunque, sed speciatim per architectos intelligi doctores ecclesiæ, integer contextus requirit. Agit enim Apostolus de ministerio Apostolorum & aliorum Ecclesiæ doctorum, ut patet ex v. 5, 6, 9, 10. Hinc per fœnum, ligna, stipulam, non mala opera hominum, sed doctrinas otiosas supervacaneas atque heterogeneas, uti, per aurum, argentum & preciosos lapides, sanam sinceram & solidam doctrinam Christianæ fidei, & per ignem, ignem explorationis & collationis cum Scriptura, itemque tentationis & crucis, intelligit. Omnium solidissime vindicavit hoc dictum B. GERHARDVS, in *L. de morte*, §. 253, sq., ad quem adversarium remittimus. Meretur etiam inspicere CALVINVS in *institut. Relig. Christ.*, L. III, c. 5, sect. 9.

§. XVIII.

Ad alienam satisfactionem ut progrediamur, ordo rerum desiderat & necessitas ipsius rei, cum frequentior sit satisfactionis Servatoris nostri ad damnatos extensio, quem admodum etiam *Noster* hanc præ aliis elegit viam. Contendit enim, medium, malo opponendum, cum malo æque late patere debere, cum illud Deum habeat autorem, hoc vero a creatura proficiatur. Atque ita meritum Christi ad omnes pertinere homines, & tam universale esse, ait, ut etiam vi ejusdem damnati aliquando orcum sint egressuri. Sed reclamationem Scriptura S., quæ post hanc vitam nulla media gratiæ acquirendæ relinquit, sed eundem statum hominum futurum esse pronunciat, quem, post solenne iudicium, non tantum, verum etiam statim post mortem, unius cuiusque anima est ingressa. *Arbor enim, uti cecidit, ita jacebit*, Ec-

E


cle

claf. XI, 3. Janua occluditur, janua mifericordiae, indulgentiae, poenitentiae, fpei, confolationis atque omnis refrigerii, Matth. XXV, 10. Jam est dies, quo operari potest anima. Veniet nox, cum operari nemo potest, Joh. IX, 4. In sepulchro nec est opus, nec ars, nec sapientia: Itaque hic age, quae peracta velis, Ecclef. IX, 10. Tempora hujus vitae sunt tempora fementis. Post mortem nihil reliquum est, quam ut, qui in carnem feverit, ex carne interitum metat, qui vero in Spiritu feverit, ex Spiritu vitam metat sempiternam, Gal. VI, 8. Incredulus non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum, Joh. III, 36. Fidem autem damnatis a Deo dari, male asseritur, qui, inexpugnabili contumacia habitusque peccati in infernum allato, post damnationem divinam meliores & sanctiores non evadent, sed in aeternum increduli & peccatores manebunt, quod inferius demonstratum dabimus. Neque ullum pro peccatis reproborum sacrificium superest, sed horrenda quaedam expectatio iudicii ignisque, saevitia adversarios confecturi, Hebr. X, 26, 27. (x). Sententiam suam adversarius loco, 1. Cor. XV, 22-25, ruerit, ex quo colligit omnes homines, tam ad spiritualem, quam naturalem, esse reducendos vitam, unumquemque tamen suo ordine, certo scilicet aone. Sed respondemus, eum omnino esse satisfactionis Christi valorem, ut omnes homines ad vitam beatam vivificari possent, nisi ipsi hoc plerique impedirent. Culpa enim hominum tribuendum est, non omnes actu vivificari. Praeterea agitur hoc loco de resurrectione pie atque in domino defunctorum, quae, tanquam opus Jesu Christi, v. 21, 22, consideratur, ita ut primo illa competat Christo, tanquam primitiis, deinde piis, qui demum tempore ultimi adventus resurgent. Et hic est ordo

(x) Quomodo igitur Celeberrimus alioquin D. PFAFFIVS affirmare possit, post mortem nullas aconomias gratiae futuras esse, in vicis argumentis demonstrari non posse, ego, me non videre, fateor. Conf. ejus *Instit. Theol.*, p. 16.

ordo, cujus Apostolus, v. 23, meminerat, adeoque hoc loco non de resurrectione ex morte aeterna, sed temporali, agitur. Reliqua loca ab adversario adducta, quæ de universalitate meriti Christi agunt, huc minime quadrant. Ab universalitate enim meriti Christi, ratione acquisitionis, ad universalitatem ratione applicationis, N. V. C. Particularem enim esse applicationem, nos docent alia Scripturæ S. loca, Joh. III, 18, Matth. VII, 13. Alias tolleretur distinctio, ab ipso Salvatore suppeditata, inter vocatos, & electos, Matth. XXII, 14, inter electos, & reprobos.

§. XIX.

Locum, Hof. XIII, 14, plerumque adduxere seculi nostri Origenistæ, neque cum præterit *Noster*, sed statim, in principio scripti sui, tanquam in aciei fronte collocavit, cuius tamen robore cur tantopere gaudeat, non habet. Scopus enim hujus loci est, ut liberationem a morte & sepulchro, h. e., gloriosam resurrectionem fidelibus per potentissimum illum  præstandam polliceatur, cum quo & pulcherrime conspirat locus Apostoli, 1. Cor. XV, 55, quod egregie profus demonstravit accerrimi judicii Theologus B. D. GOTTFRIED OLEARIVS, in Dissertatione *de Redemptione ex inferno & liberatione a morte*, ex Of. XIII, 14, §. VII, sq. Refutavit in eadem dissertatione, §. XIV, & XV, duos *arrucalazdeas* assertores, qui hoc loco abusi sunt, ita, ut alterum, dum subjectum, cui ab Apostolo applicatur Osææ vaticinium, constituit, omnes eos, qui in Adamo peccaverunt, hoc ipso sibi sumere, quod nemo, textum accuratius inspiciens, facile ipsi largietur, demonstret; alterum vero rationem, ex qua necessitas transmutationis a fidelibus, tempore advenientis extremi diei subeunda, deducitur, ex v. 54, non recte repetere, minusque accurate communem piis atque impiis dicere, evincat, cum illa ratio transmutationis hujus potius ex v. 50, esset deducenda, quæ minime communis est, sed solos fideles respicit: Caro & sanguis enim,

inquit, divinum regnum consequi nequeunt, neque mortalitas immortalitatem consequetur. Unde simul lucem accipiunt verba postrema, versu 54, repetita & synonymice, seu per exegetin, explicata, quibus B. Olearius sublimiorem longe, quam ille, contra quem disputat, tribuit sensum, qui impio non exuere corruptionem & immortalitatem, sed, perpetua morte perire aeternaque corruptione consumi, existimat. Alia loca, quibus fulcire conantur suam sententiam seculi nostri Origenistae, lubens praetereo, cum adversarius ipse ista praetierit, praevidens forte obijciendam sibi istorum locorum dudum a nostris suppeditatam vindicationem, contra quam, quae regerere poterit, non habuit. Locum, Act. III, 21, quinque argumentis, iisque solidissimis, a sinistra vindicationem explicacione asseruit Celeberrimus D. WERNSDORFFIUS, in *Diss. de Fanaticorum restitutione rerum omnium*, thes. VI, §. 2, nec non D. PFEFFINGER, in peculiari *super hunc locum Dissertatione*.

## §. XX.

Quinto urgemus contrariae sententiae incommoda, quae certe non solum pauca non sunt, sed nec levia. Faver enim illa impiorum desiderio, atque pietati prorsus est inimica, quamvis ii omnes, qui huic sententiae sunt addicti, ad excellentiam pii sibi videantur, & pro propugnatoribus pietatis acerrimis ab omnibus haberi velint. Frivola autem est exceptio adversarii, dum, licet hominibus impiis poenae aeternae atque cruciatus perpetui annuncientur, eos nihilominus tamen temere peccare, objicit. Colligendum potius est, multo magis se voluptatibus duros esse homines, si finem istorum cruciatuum ipsis promittas. Neque melioris frugis est, quod urget, hac ipsa doctrina multos perducere ad majorem gradum impietatis, imo ad atheismum, cum sibi non persuadere possint, se in illo exiguo electorum numero comprehendi, adeoque de divina gratia desperandum esse, & consequenter, omni spe verae poenitentiae destitutos, se totos  
cupi-



cupiditatibus suis atque vitiis permittere debere (y). Ausim vero ego asserere, majorem illam impietatem nequam tali desperationi debere originem, quippe quam divinæ erga peccatores, quamdiu vivunt, propensæ gratiæ collaudatio, seræque nunquam seræ pœnitentiæ, tanquam illius mediæ, quo supplicia orci evitare possumus, commendatio satis impediunt, sed magis ex resipiscentiæ negligentia dilacione oriri, cum, frequentissime ita inter homines evenire, certo certius sim persuasus, ut cogitent, futurum aliquando tempus esse, quo una vice totius vitæ peccata, pœnitentia unius momenti, possint infecta reddere, idque breviori tempore atque faciliori opera tunc fieri, quam si omnes dies molestissimo huic negotio impenderent. Sive maxime daretur, quosdam hac ratione offensos esse, culpa tamen propria illud factum esset, neque ideo dogmati de æternitate damnationis attribuendum, sed potius errori de absoluta Dei plurimorum hominum reprobatione, quem exceptio adversarii continere videtur. Et nonne iidem peccatores manebunt, quales sunt, si dicas, eos, quomodocunque vivant, iri salvatum: Dicere enim, eos, qui comminatione infinitorum cruciatuum non possunt adduci, ut impietati renuncient, eos, inquam, per contemplationem justitiæ, di-

verfas

(y) Vid. p. 18. ubi scribit: *Gebet nur ein wenig Achtung, wie die Welt, ungeachtet des continuirlichen Geschrey von der unendlichen Verdammniß auf den Cantzeln, keinesweges unterlasset, bey dieser schænen Meynung, immer je mehr und mehr arger zu werden. Ja ich darff wohl sagen, daß sie eben dasjenige ist, wodurch die Gottlosen, entweder gar zu Atheisten, oder noch gottloser, gemacht werden. Denn weil sie sich nicht einbilden können, daß sie von der Zahl der wenig Auserwehlten oder derjenigen sind, vor welche unser Heyland vürcklich den Tod gelitten hat, so verzweifeln sie alsbald an seiner gattlichen Gnade, und da sie durch dergleichen und andere Betrachtungen, auf die Gedancken gerathen, daß ihre Buße den geherrigen Zweck nicht erreichen werde, geben sie sich folgend den Lüsten des Fleisches und ihren Leidenschafften gantzlich Preis.*

E 3

verfas, quoad gradum atque durationem, poenas, finiendas tamen aliquando, infligentis eo adigi posse, adeo rationi est contrarium, ut mirer inveniri homines, qui talia proferre non erubescunt. Quid non illis poterit persuaderi, quibus hoc persuasum est? Prorsus ad rem scribit D. JABLONSKY, in *Sermone ad Luc. XVI, 19-31*, *Gewislich ein wollüstiges Welt-Kind waget es immer drauf und dencket: ich will mein Hertz guter Dinge seyn lassen, ich will thun was mein Hertz lüftet, und meinen Augen wohl gefället. Soll ich denn davor leiden? Was hat es zu sagen? Hat doch das Leiden sein Ende, und ich komme so denn zu eben der Seeligkeit, in welche die, welche in strenger Selbst-Verleugnung und Heiligkeit ihr Leben zugebracht haben, zu gelangen verhoffen. Warlich selbst diese Hoffnung, daß das Leiden ein Ende habe, und die Freude drauf folge, würde solches Leyden gar sehr verführen, und ihm seinen Stachel benehmen, da die Ewigkeit demselben das grösste Gewicht giebt. Der Himmel wäre nicht Himmel, wenn er nicht ewig wäre, und so auch wäre die Hölle nicht Hölle, wenn sie aufhören soll. Diejenige andechtige Christen, die eine solche Lehre einführen, die machen Küßen den Leuten unter die Arme und Pfähle zu den Hauptern, die Seelen zu fassen, aber deswegen rufft der Herr durch den Propheten das Wehe über sie.* Neque, ut quidem existimat aduersarius (z), bonitatis divinæ, amoris atque æquitatis commendatione obtinebitur, ut impii abstineant sceleribus. Tam violentis enim malis violenta quoque quærenda sunt remedia. Præter hoc autem incommodum, quod hactenus a nobis explicatum est, datur

(z) Namque ita pergit Adversarius: *Hingegen wenn sie wider die gemeine Meynung die Gütigkeit Gottes vor unergründlich halten, und glauben daß mehr oder weniger Sünden, auch mehr oder weniger, schwerere, oder leichtere, kürzere, oder längere, Straffen von der göttlichen Gerechtigkeit in jener Welt zu erwarten haben, alsdem werden sie viel eher in sich schlagen, und vermöge einer Bewegung des Vertrauens auf Gott ablassen Sünde mit Sünde zu häuffen.*

datum aliud adhuc, dum scilicet antithesis injuria valde est in analogiam fidei, lædit enim doctrinam de justitia Dei, merito Christi, de peccato, de lege, de Evangelio, prout demonstratum est à WERNSDORFFIO, in *disp. citata*, p. 54 seq.

§. XXI.

Sexto provocamus quoque ad consensum eorum Patrum, qui a temporibus Christi non multum abfuerunt. Ita enim IRENÆVS, L. IV, c. 47. in *Apolog.* *Quibuscumque dixerit Dominus: Discite a me maledicti in ignem æternum, isti erunt semper damnati, & quibuscumque dixerit: Venite benedicti Patris mei, percipite hereditatem regni, quod præparatum vobis est in sempiternum, hi semper percipiunt regnum & in eo proficiunt semper.* Et L. V, c. 27: *Æterna autem & sine fine sunt a Deo bona, & propter hoc & amissio eorum æterna & sine fine est. Quemadmodum in immenso lumine qui excæcaverunt semetipsos, vel ab aliis excæcati sunt, semper privati sunt jucunditate luminis.* CYPRIANVS, in *Libro ad Demetrianum* sic scribit: *Cremabit addictos ardens semper gehenna & vivacibus flammis vorax pœna, nec erit, unde habere tormenta requiem aliquando possint vel finem. Servabuntur cum corporibus suis anime infinitis cruciatibus ad dolorem. Erit tunc sine fructu pœnitentiæ dolor pœnæ, inanis ploratio & inefficax deprecatio. Qui plura testimonia desiderat, PETAVIUM conferat, Tom. III. Op. de Angelis, L. III, 18, qui loca Patrum tanta copia allegat, ut THEOPHILVS ALETHINVS, five, qui sub hoc nomine latere voluit, JOH. CLERICVS, in additis notis miratus fuerit, virum doctissimum tot loca coacervasse dere, quam constaret, exceptis Origenistis, ab omnibus receptam fuisse, nec verbo tamen aggressum confutare rationes Origenistarum, quod ejus ingenio multo dignius fuisset argumentum.*

§. XXII.

Septimum Argumentum a tuto desumunt nonnulli, quod

quod tamen tutum esse satis non arbitror. Adhibuerunt illud TILLOTSONVS (a) ut & Celeberrimus CROVSZ (b). At improbendam eorum esse existimo imprudentiam, si hujus argumenti beneficio intellectum ad assensum adducere student. Nam tum demum huic argumento locus esset, si ex utraque parte æquales pugnarent rationes, non vero, ubi Scriptura S. ita disertè alterum affirmat. Quod si dicat DN. CROVSZ, se hoc argumento usum esse, non quia ipse statuat argumentorum utriusque sententiæ æquilibrium, sed quia adversario, aut propter judicii imbecillitatem, aut malitiam, paria viderentur argumenta, peccat tamen, dum de intellectus humani indole, & assensum impetrandi ratione, minus rectè sentit. Nullam enim vim habet hoc argumentum in intellectum. Quis quæso nexus? Pœnæ in inferno sunt æternæ, quia tutum est eas credere æternas. Certe in disputationibus de dogmatibus, quorum veritatem aliis persuasam volumus, debebamus ab ejusmodi abstinere argumentis, quibus aliis facile suspicionem incertitudinis, nostram sententiam comitantis, movemus. Habet tamen hoc argumentum suam efficaciam ad commovendam volun-

(a) TILLOTSONIVS, in citato supra sermone: *Que l'on considère, que puisque Dieu menace les pecheurs impenitens d'une misere éternelle: il est de la prudence de croire qu'il faut entendre, ce qu'il dit a la lettre & qu'il executera ses menaces à la rigueur, s'ils continuent a lui resister, avec obstination. C'est pourquoy nous devons nous conduire nous même, selon cette supposition & tâcher de persuader aux autres, que ce qui violent de gayeté de cœur les loix divines, sont en danger d'etre éternellement malheureux.*

(b) Vide CROVSZ, Examen du Traité de la liberté de penser, p. 48. ita differentem: *l'Ecriture sainte s'exprime sur cet sujet en des termes, qui donnent lieu de craindre l'éternité des peines: C'est de quoi tout le monde convient: Il est de la prudence de s'éloigner du vice avec autant de soin que s'il devoit être infailliblement suivi de ces peines, qui pour le moins, y paroissent attachées, c'est le parti le plus sûr, & il faut être insensé pour ne le prendre pas.*

voluntatem, quæ hoc medio ad accuratius veritatis examen excitatur, nec non ad cautius ducendas rationes adigitur. Plura, quæ, partim ad abufum hujus argumenti in doctrinis Theologicis, partim ad ejusdem genuinum ufum, fpectant, illa egregie, ut folet, scrutatus eft elegantiffime Doctus DN. D. MOSHEMIVS, in *Differt.* quam habuit, *de argumento, quod ducitur a tuto in Theologia.*

## SECTION II.

### §. I.

**R**equirit nunc instituti ratio, ut in altera differtationis Sectione explicem, assertam in priori pœnarum in inferno æternitatem non repugnare justitiæ divinæ atque bonitati. Ita autem plerumque ducunt rationes, qui contra priorem insurgunt, ut nullam objiciant esse proportionem inter infinitam pœnam & brevis temporis peccata. Ex quo πολυδουλλήτω principio ERNESTVS SONERVVS, Professör Philosophiæ Altorfinus, acutissimus Aristotelicus, Socinianismi tamen suspectus, demonstrationem suam contra æternitatem pœnarum confecit, ut refert LEIBNITIVS, in *Theodicea*, p. 551, edit. *Germ.* Idem dubium urget, SIMON EPISCOPIVS, in *Respons.* ad *Quæst.* LXII, voluptatem, inquiens, *quam peccator ex peccato percipit, brevem esse & sæpe momentaneam ferme, cui dolor æternus & infinitus proportionari haud queat.* Eundem scrupulum sæpe animosiorum offendere, nullus dubito, sæpiusque accidere existimo, ut cum M. GEORGIO ALBRECHTO, in *Conc.* XXXIV, cogitent: *Schræcklich ist es zu haben, wenn etwa ein Mensch die ganze Zeit seines Lebens fromm und gottselig gewesen, ungefehr stürztet ihn der Teuffel in ein grausam Laster, darin er sein Leben beschleußt und abbruckt: Solte er denn um einer so kurzten Zeit willen ewiglich verlohren seyn. Und das begiebt sich viel und offft, daß etwa ein frommer Mensch plätzlich in ein grosses Laster, Trunckenheit, Ehebruch, Tödt-*

F

schlag

schlag, oder andere gestürzt wird, bleibt auch darinnen liegen, und stirbt. Da soll er gleich um einer so geringen Zeit, um einer so schlechten Wollust willen ewig verdammt und verlohren seyn. Will nicht sagen von den Straffen selbst, ob dieselbe eben so scharff müssen, und ob sie nicht umb etwas kennen gemildert, seyn: sie seyen recht und gerecht, die Verdammte habens wohl verdienet. Ach wenn sie nur nicht ewig wahrte. Ich will setzen, wenn Gott einen gottlosen Menschen sein Leben fristete auf 100 Jahr, und rechnete hernach mit ihm also ab, daß er ihm für eine Viertel-Stunde seines Lebens 1000 Jahr zur Straffe gebe, so wärs ja grausam, aber doch erleidentlich, weil er die Hoffnung hätte, er mögte einmahl erlediget werden. Wer rechnen kan, der rechne es aus. Ein Jahr hat acht tausend siebenhundert und sechzig Stunden, eine jede Stunde 4 Viertel, ein jedes Viertel bringe in der Halle tausend Jahr, wie viel macht das in tausend Jahren? Ich meyne das biess ja gebüßt genug, und wäre doch an Gott als eine grosse Barmherzigkeit zu rühmen, wenn, sie nach so viel tausendmahl tausend Jahren konten erlediget werden. *Noster quoque, in suo Dialogo, peccata hominum ita extenuat, ut, æternas illorum penas nimis duras esse, haud obscure innuere videatur (c).*

## §. II.

Antequam ad speciales responſiones me accingam, non, inconſultum eſſe, duco, quædam præmonere, quæ, in ſubfidium illarum vocari poſſe ab iis, qui hic nimis ſunt curioſi, exiſtimo. Attendendum igitur ante omnia eſt, quamvis omnibus quaſtiunculis ſatisfacere atque ad omnia dubia reſpondere nequiremus, neutiquam tamen exinde ſequi, vacillare ſententiæ noſtræ veritatem, clariffimis Scripturæ S. aſſertam teſtimoniis. Cum enim nimium, quantum! noſtram ſubterfugiat cognitionem, omnium dubiorum viſtores noſeſſe poſſe, nobis non blandimur. Ea autem aliquando die diſcuſſionis diſcutiet optime atque expediet

Summus

(c) Vid. p. 35.

Summus Deus tunc, cum terrarum orbem judicabit, in justitia, & gentes jure, optime tuiturus honorem justitiæ suæ, omnibus simul demonstraturus, se nequaquam minatum esse pœnas, quas non valeret effectui dare. Deinde quoque hominum non est, proportionem illam inter peccata & pœnas æternas exacte definire, sed Dei. Proinde nobis non sumere debemus, ut, quas Deus peccatoribus imponit pœnas, sub examen revocemus, siquidem, Deum sanctissimum atque sapientissimum ab hominibus, judicari, h. e., sapientiam a liberis suis, res est sibi ipsi repugnans. Postquam vero ex verbo divino voluntatem Dei edocti sumus, nosmet Deumque satis tuemur, si ab omni injustitia eum magis vindicare, quam ex suis fontibus jus inquirere, atque hoc ipso nos iudices Dei, non sine arrogancia atque temeritate, constituere, conamur. Falsissimum porro inferendi modum esse, si, quoniam proportionem illam assignare non valemus, nullam plane dari, aliquis argueret, cum in Dei operibus atque judiciis multa sint, quæ rimari atque explicare miser homo nequit, nemo non videt, nisi de industria omnem rationem ejuret. Sicut enim initium alicujus dramatis sæpe ita intricatum est atque perplexum, ut talem, qualis in fine accidit, exitum nemo potuerit facile conjiciendo assequi, in fine autem ultimoque actu omnia, quæ paulo ante sibi ipsis repugnare videbantur, clara fiunt atque expedita, ita quoque ea, quæ huc nobis coherere non videntur, obscuraque maximam partem sunt, ultimæ diei lux collustrabit, pulcherrimam omnium harmoniam ostensura. Præmoneri & illud hoc loco commode potest, proportionem inter pœnas & peccata, secundum regulas justitiæ, ne quidem apud homines, in temporis ratione quærendam esse. Quot enim vitia ab hominibus exiguo temporis momento patrata, perpetuo carcere puniuntur? Pœna capitis, quæ multis qui brevi tempore scelus patrarunt, adjudicatur, nonne eos omnibus hujus vitæ bonis in æternum privat? Neque tamen eam ob rem ju-

dicem, qui talem poenam statuit, injustum pronunciaveris, idque jure. Aliam certe justitia requirit, non temporis, sed scelerum, turpitudinis, inprimis vero ejus, contra quem commissum est crimen, modo honoris, modo beneficentiæ, modo majestatis aliarumque, quæ sceleris patrationem comitata fuerunt, causarum, considerationem.

## §. III.

Recte vero speciatim primo respondetur, peccata hominum temporalia infinitam mereri poenam, quia contra infinitum objectum sunt commissa. Scimus enim, peccati gravitatem augeri gravitate personæ, contra quam peccatum fuit. Hinc in illum, qui injuria affecit æqualem, animadvertitur, majorem vero poenam luere solet, qui parentes, multo majorem vero, qui magistratum, aut ipsum Principem. Æqualis injuria sæpe mulsetur deprecatione, sive pecunia, magistratus carcere, Principis morte ipsa. Proportio vero argenti atque vitæ, absolute consideratorum, nulla fere est. Oritur tamen ex diversitate objecti, quod fuit læsum, dum Principis injuria morte, alterius vero carcere, aut pecunia, expiatur, licet uterque, non natura, sed statu tantum, differant. Quam infinite vero major est culpa, quando Rex infinitus, Dominus hujus universi, ab infimis hominibus offenditur? Si igitur injuria majestatis, quanta a Rege irrogari unquam potest, poena vindicatur, cujus tamen majestatem majestas divina multis parasangis antecedit, tum longe majori jure Deus violatæ divinæ majestatis crimen, quanta a Deo irrogari unquam potest, infinita nempe, poena coërcet. Repugnat vero hominis natura, ut non possit poenas intensive infinitas pati, quales Christus, tanquam persona infinita, passus est, ergo extensive tales ipsi perferendæ sunt.

## §. IV.

Quam responsonem quidem TILLOTSONVS, magis



gis subtilem, quam solidam, esse, dicit. (d) Largitur dignitatem personæ, quam læsimus, delictum exaggerare, & ea propter peccata contra summum atque infinitum Deum gravissima esse, claram tamen atque facilem rationem dari posse, negat, cur propterea in infinitum usque augeatur reatus peccatorum. Hoc ipso, peccata omnia æqualia esse, infert, cum in infinito, nec majus, nec minus, detur, pœnasque inde sequi æquales, id quod clarissimis dictis Scripturæ S. esset contrarium. Ast in salvo est inæqualitas peccatorum, licet dicamus, illa propter offensam infiniti Dei infinitas quoque mereri pœnas. Quædam enim peccata directe Deum, quædam indirecte offendunt; quædam ex summa malitia atque destinato consilio, quædam negligentia committuntur, & qui alii possunt esse turpitudinis gradus, secundum quorum diversitatem damnati etiam pœnas luent, gradu distinctas. Cum scilicet omnia infinitum objectum lædant, omnia etiam infinitam, ratione durationis, punitionem contrahunt. Quæ in re, si quid video, nihil sibi repugnat.

§. V.

Quæ CLERICVS, cum istam Tillotsoni sententiam recenset, addit, rem etiam nondum conficiunt. (e) Dicit enim

(d) TILLOTSONVS, in citato sermone: *Quelques uns disent que l'objet, contre lequel on a peché, étant infini, le peché merite à cause de cela une peine infinie. Mais si l'on examine bien cette reponse, on la trouvera plus subtile, que solide. Il est vrai, que la dignité de la personne, que l'on offense, rend la faute plus grande, & qu'à cause de cela les fautes que l'on commet contre Dieu sont les plus grandes de toutes. Mais on ne sauroit accorder, qu'il s'ensuive de là, que la grandeur de ces fautes augmente à l'infini, & cela pour une raison claire & facile. C'est que le demerite de toutes les mauvaises actions seroit égal, car il n'y a pas du plus & du moins dans l'infini. Si le demerite de tous les pechez est égal les Peines doivent être aussi égales dans l'autre monde.*

(e) Clericus, in Biblioth. Sel., T. VII, p. 299. On peut remarquer,

enim, tunc objectum reddere peccatum gravius, si immediate contra illud sit commissum, non æque, cum tantum mediate. Sed respondeo, bene sese hæc habere: Illud ipsum enim est, ob quod alii leviolem, alii graviorem, perferentiscnt poenam. Ratio objecti tamen habenda est in statuendis pœnis, sive directe, sive indirecte, læsum sit, & cum ab omnibus infinitum Numen male habitum sit, ergo etiam ab omnibus exigendæ sunt pœnæ, quæ sine carent. Et quis negaret, ab omnibus impiis Deum non raro immediate lædi? Præterea, si ad inæqualitatem peccatorum inæqualis, respectu durationis, damnatio referatur, ita, ut, qui majora commississent scelera, longioribus punirentur cruciatibus, qui vero levius peccassent, brevius quoque torquerentur; non video, cur gradus intensiõnis essent constituti, quos tamen Scriptura S. diserte confirmat, siquidem per diversam durationem damnationis pœnarum gradus potuissent constitui. Verum quia ratione durationis non poterunt constitui gradus pœnarum, cum earum æternitas requiratur a justitia divina, non in extensione sed in intensiõne, inæqualitas posita est.

## §. VI.

Altera TILLOTSONI exceptio parum etiam in se continet, quod nobis possit obesse. Existimat vero per eandem rationem, per quam, nos, peccatum infinitam contrahere pœnam, probamus, punitionem Dei quamcunque fieri infinitam, quoniam ab Autore infinito proficere-

quer, quelorsque l'objet, contre lequel une faute est commise, la rend plus grande; c'est lors qu'elle est directement contre cet objet & non lorsqu'elle ne le regarde qu'indirectement. Tous les crimes, qui se commettent dans un Royaume, sont oppozes à la volonté du Prince, néanmoins tous ne sont pas des crimes de Leze-Majeste & on ne les punit pas tous si severement. Ainsi à l'egard de Dieu l'Atheisme & toutes ses suites, le regardent plus directement, & sont des pechez beaucoup plus grands, que des pechez contre d'autres Lois Divines.

iceretur. Sed non possum perspicere, qua ratione hanc consequentiam eliciat. Id enim in confesso est apud omnes, delicti gravitatem augeri dignitate læsi, non vero, pœnam ab eo, qui eam infligit, majorem nancisci valorem, aut satisfactionem. Sive enim major magistratus, sive minor, pœnam capitis adjudicet malefico, ideo tamen justitiæ non magis, neque minus, præstatur compensatio injuriæ. Huc etiam spectant, quæ statim addenda sunt, postquam subtilius, quod apud EPISCOPIVM non nemo movet, dubium adduximus.

§. VII.

Excipit autem contra rationem, quam nos adduximus, idem apud Episcopium: *Si illa ratio valet, quidni eodem argumento concludere, mihi liceat, ipsa etiam opera bona infinita esse? Imo vero hac ratione utraque, tam bona, quam mala, opera, non tantum duratione, sed etiam essentia, infinita erunt, quia Deus utroque modo infinitus est. Præterea, si singula peccata infinita sunt, quomodo satisfiet justitiæ Dei. Et enim ponamus, aliquem commisisse furtum, homicidium & adulterium, eumque a Deo propter furtum æterna morte punitum iri, quomodo deinde pro homicidio & adulterio ei satis fiet, cum furtum jam omnem penarum infinitatem ex justitia sibi vindicet? Absurdum vero est, majora creaturæ delicta statuere, quam creatoris in puniendo potentiam. Denique cum infinitas illa, quam actiones ab objecto accipiunt, extrinseca tantum sit denominatio, quomodo quæso hæc naturali, reique ipsi infinitæ, qualitati exammissim adæquari potest? Hæc existimat Episcopus ita comparata esse, ut refutari nequeant, prætereaque hujus sententiæ rationes confirmat ex eo, quod, juxta eam, peccata omnia æqualia essent, neque proprie transgressiones legis divinæ, sed essentiæ divinæ violationes. Quæ omnia tamen B. FECHTIVS, in egregio libello *de statu damnatorum*, p. 103, dissipari facile posse, existimat, dummodo observetur, peccatum non alia ratione a nonnullis (nam*

(nam ab aliis is loquendi modus aperte rejectus est) infinitum, aut malitiam peccati infinitam, dici, quam in quantum offendit majestatem divinam, & impingit in justitiam infinitam, ejusque normam, scilicet legem. Quo sensu THOMAS, Pr. II, Quæst. LXXXVII, Art. IV, *dicendum, inquit, quod pena proportionatur peccato. In peccato autem duo sunt, quorum unum est averſo ab incommutabili bono, quod est infinitum. Aliud, quod est in peccato, est inordinata converſio ad commutabile bonum, & ex hac parte peccatum est finitum, tum quia ipſum bonum commutabile est finitum, tum etiam, quia ipſa converſio est finita, non enim poſſunt eſſe actus creature infiniti. Non igitur* (quod optime monet B. FECHTIVS) *æqualitas æternæ poenæ, & peccati in infinitate, ab utroque participata, aut in eo conſtitui debet, quod peccatum ledat Deum infinitum, in quantum infinitus, aut loco, aut tempore, aut eſſentia eſt, ſed quod eum ledat, qui & quantum eum, a quo leditur, creavit, creatum conſervavit, lapſum redemit, inque redemptione proprium filium prodegit, redemptis gratiam ſuam obtulit & ut paucis dicam, eos infinitis & ineffabilibus beneficiis cumulavit. Qui plebejum injuria afficit, v.g. pugno cædit, aliquot numerorum multam ſubit, qui conſulem, carceris, qui Regem, capitis, poena afficitur. Quæ vero hujus rei cauſa eſt, niſi quod ea nos vincula plebejo non obſtringunt, quæ obligant Regi? At vero, qui legem tranſgreditur, τὸν Θεὸν ἀδίκησας, Deum contumelia afficit, Rom. II, 23, adeoque peccatum committit, ratione reatus infinitum. Nec valet conſecutio, ſi dicas: Peccata plura ſunt ejusdem reatus, ergo multiplicanda eſt infinitas, aut una infinitas non ſufficiet pro puniendis peccatis multis. Infinitas enim multiplicationem prorsus non admittit, ſufficitque una æternitas pro peccatoribus & peccatis omnibus puniendis, quemadmodum, v. c., attributa divina multa ſunt, eademque omnia infinita, & una tamen in Deo infinitas.*

S. VIII.

§. VIII.

Deinde plurimi etiam Theologorum non dubitant ad superiorem exceptionem respondere, æternas esse damnatorum pœnas, vel maxime propterea, quod in æternum peccare damnati pergant. Utuntur hac responsione ex nostris B. JOH. BRÉNTIUS, in *Comment. ad Genes. II, p. 36*, & B. GERHARDUS, *Loco de inferno, §. 60*. Determinata enim erit voluntas damnatorum, a Deo plane averſa, ad malum, ita ut indefinenter peccent. Enimvero meminisse debemus, quod reprobi decedant, non modo in reatu peccati non remissi, sed etiam in dominio peccati. Quoniam igitur peccatum, quoad omnes suos respectus, & ratione reatus, & ratione dominii, e regno gratiæ inferunt in regnum justitiæ, hinc exclusi sunt ab omni emendatione voluntatis. Conf. etiam B. BAYERI, *Compend. Theolog. Pos., P. I, c. VII, §. 9*, nec non CALOVIVM, *T. XII. System., Art. VI, c. III, p. 265*. Nequeunt omnino habitum vitiosum, cum quo ex hac vita impii discedunt, exuere, cum nulla gratia iis amplius assistat. Ubi vero averſio est a Deo, ibi etiam est peccatum. Conjunctionem enim cum Deo semper lex requirit. Cum averſione vero a Deo impii descendunt in infernum, quæ morte ipsa non tollitur, aut cessat, quemadmodum neque post mortem, quandoquidem neque motibus gratiæ, neque propriis viribus (utpote quod statuere, ad Pelagianorum esset castra transire) illud fieri potest. Quas cum in hac vita non habeant, perspici non potest, unde post illam sint accepturi. Accedit, quod, si quis velit asserere, reprobos nec peccare, nec posse peccare, sequeretur, non citra absurditatem, reprobos & damnatos meliores fore in inferno, quam fuerint in regno gratiæ. Confirmavit nostram sententiam integro libello B. FECHTIVS, *de statu damnatorum. Conf. in primis p. 34, sq.*

§. IX.

Dissentiunt tamen alii ex Nostratibus, B. DANNHAVERVS, in *Hodof., p. 1498*, & B. SCHERZERVVS, in  
G
Syste-

*Systemate*, p. 652, cujus dissensus ratio palmaria est, quod peccatum, tanquam injuriam adversus Deum, concipiunt, quæ locum habere non amplius possit, postquam Deus omnes hostes suos triumphaverit. Verum enimvero, quid est, quo tollatur vitiosus habitus impiorum? Huic certe difficultati occurri non potest, potest autem illi, quam movent DANNHAVERVS & SCHERZERVS, & qui cum iis faciunt. Excipiunt, quod, si damnati determinati essent ad aversionem a Deo, hæc aversio non sit res electionis, adeoque neque peccatum. Sed facilis est responsio, impotentiam propria culpa contractam non tollere obligationem, alias & peccatum originis non esset peccatum, nihilque esset, quod Arminianis atque Socinianis, id ipsum assentibus, reponere possimus, quandoquidem nec illud res electionis est. Quod mors naturalis peccatum tollat, efficere volunt dicto ad Rom. VI, 7. *Qui mortuus est, justificatus est a peccato.* Sed hic locus non agit de quovis mortuo, sed de illis, qui in vera fide, adeoque etiam peccatis omnibus remissis, decedunt. Sed hæc non possunt applicari ad impios, qui non justificati sunt a peccatis. Neque sua morte temporali satisfecerunt pro peccatis, neque etiam aliena, scilicet Christi, quoad applicationem. Excipiunt porro: Si status damnatorum pœna esset peccati, non posset ibi locum habere continuatio peccati. Sed quidni? Rebellis enim refractarius, in rebellionem persistens, sua, &, quicquid in se est adversus Dominum suum moliens, pœnas luere potest, ipsaque pœna, formaliter inflicta, occasio esse potest peccandi ulterius. Urgent denique indignum sibi Deo, videri, si hostes perpetuo rebellantes ferre debeat, qui tamen, post judicium extremum, de omnibus hostibus sit triumphaturus. Sed potest omnino Deus de hostibus suis triumphare, si obnoxios sibi suæque iræ atque, sub pedibus habeat, justitiæque suæ mirandum exhibeat spectaculum.

## §. X.

Sunt alii, qui, ad dubium illud, ab inæqualitate peccati  
& pœ-

& poenæ defunctum, respondent, impios, si perpetuo in vita mansissent, in æternum quoque peccaturos fuisse. *Quam in rem THOMAS, Summ. Theol., P. II, Qu. 87, Iustum est, inquit, secundum Gregorium, quod qui in suo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur.* Dicitur autem aliquis in suo æterno peccasse, non solum secundum continuationem actus, in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso, quod finem in peccato non constituit, voluntatem habet in æternum peccandi. Quod similitudine declarat GEORG. ALBRECHT, in Conc. supra allegata, *Es sitzen, inquit, etliche Spieler bey-sammen, die eine gantze Nacht hindurch mit einander raslen und spielen, und seynd darinne dermassen erbitzt, daß sie fast nimmer aufhæren kœnnen. Ungefehr lißcht ihnen das Licht aus, da hæren sie auf zu spielen, aber das geschicht mit ibren Unwillen, sie sagen, ey daß wir doch das Licht lenger haben solten, so wolten wir immerdar in Spielen fortgefahren seyn. So machen es die Gottlosen auch. Sie serzen auf ihre Seele, und spielen auf den Tisch des Teuffels mit den Karten der Bosheit. Unversehens wird ihnen das Licht des Lebens ausgeblasen, da hæren sie auf, auf gewisse Art zu sündigen, aber mit ibren grossen Unwillen. Hætte ihnen Gott das Leben lenger gelassen, so hætten sie auch ewig fortgesündiget.* Nec valet, quando TILLOTSONUS ad hanc responzionem monet, divinam iustitiam punire peccata commissa in hac vita, non vero ea, quæ forte essent commissa, si homines diutius vixissent. Deus enim, in finaliter incredulis peccatoribus, non punit per æternas poenas, peccata, quæ essent commissa, si homines diutius vixissent, sed affectum, peccata, si fieri posset, & reiectionem, per incredulitatem, mediorum salutis æternæ omnium, continuandi. Quod propositum pertinax, in quo infelicissime decedunt, est peccatum hujus mundi. Deinceps quoque illam rationem, qua diximus, homines in æternum peccare, & ideo etiam æternum puniendos esse, huc non, nisi per accidens, pertinere arbitror, cum illud hoc loco præcise quæretur, an peccatis hominum temporalibus iuste infligatur

gantur æternæ pœnæ, non vero, an æternum continuatis peccatis æternæ debeantur pœnæ.

## §. XI.

TILLOTSONUS alia incedit via, dum responde-  
re ad nostrum dubium intendit, atque proportionem, quæ  
inter peccata & pœnas eorundem requiritur, ad prudentiam  
legislatoris, non vero ad justitiam, refert, & secundum illam,  
tantas imponi peccatoribus posse pœnas, existimat, quan-  
tas ad conservandam aliquam rempublicam necessarias esse  
prudens legislator judicat. Hinc colligit, impertinenter divi-  
næ justitiæ inæqualitatem peccatorum & pœnarum objici.  
Sed non seponenda est justitiæ consideratio hac in re, cui si  
esset adversum, pœna æterna peccatores afficere, prudentia  
nunquam tale quid posset. Paulo aliter responsum Til-  
lotsoni immutandam esse censeo & cum D. HOFFMAN-  
NO moneo, ratiocinationem mathematicam cum philo-  
sophica non confundendam, neque proportionem ma-  
thematicam esse quærendam, sed moralem ex mediis & fine,  
uno verbo, ex lege dijudicandam, ubi semper a parte obli-  
gantis jus & lex, a parte obligati, obligatio, imputatio, culpa  
& pœna, relativa sunt. Gaudet vero legislator jure tales le-  
ges constituendi, talesque pœnas adjudicandi transgressori-  
bus, quales ad finem censet sufficientes. Cum itaque, ho-  
mines corruptissimos leges haud observaturos esse, provide-  
ret, nisi maxima ipsis minaretur supplicia, summum iis pon-  
dus, i. e., æternitatem, adjecit, mediis tamen ea facile evitan-  
di non denegatis, jusque habuisset, si esset, quod longius du-  
raret, quam æternitas, illud ipsum ad coercendos malos, ne  
quidem æternitate pœnarum a malitia deterritos, adhibendi.  
Ubi itaque justa lex, ibi etiam pœna justa est. Pariratione  
in rebus politicis proportio est, inter ramum amputatum, &  
manum amputatam, inter ferarum vitam, & vitam homi-  
num, ita ut etiam hæ leges justissime sint lætæ & in trans-  
gressoribus observatæ. *Conf. D. HOFFMANNVS, in Judi-  
cio de dubiis Scripturæ, p. iii.*

## §. XII.



§. XII.

Neque hoc loco prætereundum est, Virum Celeberrimum JACOBVM SAVRINVM (h) jubere nos attendere ad hanc veritatem, *non esse verosimile, Deum minari hominibus posse penas, quarum effectio suis attributis esset contraria.* Sane, si æternitas pœnarum læderet perfectiones creatoris, nunquam ita fuissent annuntiatae. Sanctitas Dei non esset permittura, terrore Panico homines in metum conjici. Et, cum tam angusta sit intellectus nōstri vis, non debemus argumentari: Hoc dogma est injustum. E. non est revelatum. Sed oportet potius ita nos inferre: Hoc dogma est revelatum. E. non est injustum, nec divinis attributis contrarium. Me quidem non latet, CLERICVM (i) contra Saurinum priorem ratiocinandi modum præferre posteriori, atque omnino, licet intellectus sit exiguum lumen, non dubitare asserere: Hoc est injustum. E. nec est revelatum. Revelatio enim, inquit, supponit certe, nobis esse perspectum, quid sit justitia, & proinde eam nullibi exacte definit. Simpliciter asserit Deum esse justum, & supponit, nos non ignorare, quid illud sibi velit, id quod etiam in aliis rebus ita fieri solet. Unde est, ut, cum invenimus locutionem quandam, quæ, in rigore sumta, rem significaret claris nostris notionibus repugnantem, coactos nos arbitremur, ad ita explicanda verba, ne scientiæ nostræ claræ contradicant. Scriptura S. enim & recta ratio amice conspirant. Quæ Clerici asserita omnia recte se habere concedo, si notiones nostræ, quas de aliqua re habemus, ita sint claræ, ut absque contradictione cum verbis Scripturæ S. non possint simul stare. Sed ita non solum sunt comparata divina attributa, ut eorum infinitas nostrum superet captum, verum etiam de facto, ad quod debent applicari, nobis sæpe non recte constat. Id quod sufficientissima ratio est, cur & in præsentī negotio claris Scripturæ S.

G 3

asser-

(h) Conf. Mr. JAQUES SAURIN, *Sermons sur divers textes de l'Écriture Sainte, Tom. II, Sermon V.*

(i) Vide CLERICI *Bibl. Sel.*, T. XXV, p. 200.

assertis inhæreamus, justitiæ divinæ ambitum nobis comprehendendum non arrogantes, atque firmiter inferentes: Hoc dogma claris verbis est revelatum. E. neque est injustum, neque aliis attributis divinis adversum. Equidem ex lumine rationis scimus, quid sit justitia Dei, sed cum infinita sit, cum sit mysteriis plena, illius extensionem temere finimus. Quis enim omnes, quos Deus intendit fines, quis ipsius facti, ad quod refertur justitia, naturam, nexum atque harmoniam cum aliis rebus, ab experientia nostra maxime remotis, a priori intelliget? Non enim dememineris, o homo, divinam œconomiam respicere ad omnia tempora & ad omnia, quæ in illis accidunt, licet admirabilem omnium rerum nexum nos non perspiciamus, multis hujus pulcherrimæ catenæ membris cognitioni humanæ ereptis, ratiociniorum humanorum quoque connexionem, mirum quantum! turbantibus. Partes enim seorsim consideratæ eam perfectionem non demonstrant, quam essent ostensuræ, si cum toto eas conjungeres, & cum iis partibus, quæ incognitæ tibi sunt. Quas tamen non ignorat, qui præsentia præterita & futura, uno intuitu contemplatur, Summus Deus, cuius bonitatem, justitiam atque alia attributa iis ipsis rebus, quæ illis in præsentiarum repugnare videntur, egregie illustratum iri nullus dubito.

## §. XIII.

Bonitatem atque misericordiam divinam assertionem æternarum pœnarum maxime lædi, notum est, quam exaggeraverit nostro tempore acutissimus BAELIVS, qui, Deum vi bonitatis suæ liberi arbitrii ab usum hominibus non concedere debuisse, objicit. Hinc *Tom. II. Respons. ad quæst. hominis ex provinc.*, p. 180, ait, nihil esse, quod magis excitaret admirationem in dogmate, quod ad mali moralis permissionem spectat, quam quod videre cogamur, quod æterna omnium fere hominum inde consequatur damnatio, & in *Tom. III, c. 178, p. 1723*, objicit, hoc bonitatis nihil continere, si Princeps, integra gente rebellionem molita, paucissimis gratiam daret, reliquos omnes extirparet. Conf. etiam *Tom. IV, c. 144, p. 812*. Quid huic oppositum sit a viris Celeberrimis DODWELLO, KINGIO, JAQUELOTO atque CLERICO, videre est in *Celeb. DN. WOLFFII,*

Mami-

*Manichæismo autè Manichæos*, p. 524, sq. Observant Viri doctissimi, Bælium in his peccare, quod comparationibus, ab homine ejusque actionibus petitis, sæpius utatur, & ex illis Divini Numinis opera perperam æstimet. Quod quam inconvenienter fiat, obscurum nemini esse potest, qui meminerit, de hominum consiliis actionibusque multo facilius promptiusque ac rectius formari posse judicium, cum omnes earum rationes humano ingenio comprehendendi, ac vel mediocri sagacitate prævideri, possint, cum vicissim alia sit actionum divinarum conditio, quas omni ex parte perspicere ac penetrare intelligendo velle, non minus a mentis nostræ rationisque facultatibus est alienum, quam impossibile est oculis sibi relictis solis splendorem sustinere, ut recte monet Dn. WOLFFIUS, in citato libro, p. 346. Quod attinet ad exemplum Principis, ejus certe interest, ut pauci moriantur, & plurimi conserventur, licet omnes eadem culpa sint maculati, cum e contrario Deus, dum plurimos damnat, non opus habet eorum officii, quia sibi soli sufficit. Nonne illud summæ bonitatis est, proposita esse hominibus mala & bona, mediæque, ad illa evitanda, hæc vero assequenda, non denegata. Proinde hominum propria culpa est, cum delicto æque ac pœna contrahentium, ipsos ita puniri, ut meruerit. Misericordia humana nimis imperfecta est, quæ ad Deum applicetur, in quo omnium attributorum harmonia atque æqualitas respicienda est. Neque enim Deus per misericordiam aliquid potest, quod non potest per justitiam aut sapientiam.

§. XIV.

Digna, quæ sub fine hujus dissertationis addatur, Celeb. SAVRINI meditatio est, quam instituit de attributis divinis (k) *Scimus, inquit, generatim, qualia sint attributa Dei, sumus autem admodum ignari, quousque eorum sphaera sese extendat. Novimus generatim, Deum esse justum, misericordem atque benignum. Sed nescimus determinare, quousque hæc attributa sint dilatanda, quia eorum infinitas nostrum superat intellectum. Exemplo res clarior fiet. Pingamus duos Philosophos extitisse ante mundi creationem, deque mundo a Deo producendo disputasse. Cogita, alterum defendisse hæc thesım: Deus ex nihilo creabit creaturas intelligentes, & dabit illis liberum arbitrium, cujus abusu ad ignorantiam, vitia & miseriam seducuntur. Ceterum producet Deus mundum, in quo virtutem iri despectum,*  
crimen

(k) Vide Sermones ejus, Tom. II, p. 231.

crimen vero coronatum, prævidet. Alter Philosophus nonne huic opponet, Dei bonitatem nunquam concedere, creaturas produci, quarum existentia ipsis adeo funesta sit, neque peccatum in mundum intronitare posse? Interea quicquid sit harum exceptionum valde verosimilium, eventus tamen prioris Philosophi confirmavit asserta. Certum enim est, ejusmodi mundum existere, & certum quoque est, hoc nihil derogare attributis divinis, quantumvis etiam laboremus, objectionibus, quæ hodie moventur, satisfacere. Sed in causa sunt limites intellectus nostri, & infinitas Dei ejusque attributorum, quo minus perspiciamus, usque quo hæc sint extendenda. Ea quæ diximus applica ad rem præsentem. Videtur tibi eterna damnatio repugnare attributis divinis, & comprehendere non potes, quomodo justus Deus finita peccata infinitis punire cruciatibus queat, atque quomodo bonus ac misericors, creaturam suam æternæ miseriæ tradi, possit permittere: Et fateor, ista difficilia esse. Sed memento, infinita esse attributa Dei, nostrum intellectum finitum. Revoca tibi in animum nostros Philosophos eorumque theses, & quomodo eventus prioris sententiam firmaverit, rejectis alterius difficultatibus. In nostro autem objecto idem valet revelatio, quod eventus in systemate prioris Philosophi. Clare enim revelatæ sunt pænæ æternæ. Si opposueris attributa divina, lumen Scripturæ oppono, quo evanescent difficilia, quemadmodum eventus, alterius Philosophi dubia non tantæ difficultatis esse revera posse, quantum primo intuitu præ se ferunt, probavit. Recte Illustris LEIBNITIVS, sub finem Theodiceæ, potior inquit, pars civitatis Dei atque æconomie Divinæ spectaculum est, cujus elegantiam demum recte inspicere nobis integrum erit, cum nos lumen divinæ gloriæ illuminabit. Hic illam civitatem oculis fidei solum usurpamus, i. e., cum fiducia divinarum perfectionum intemerata.



AB: 153 137

ULB Halle 3  
003 898 784




VD 18


56.

R

WAT







DE  
AETERNIS  
PECCATORVM POENIS  
DISSERTATIO THEOLOGICA

32

ad

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO MAGNIFICO ATQVE SVMME REVERENDO  
DOMINO  
**HENRICO KLAUSINGIO**  
SS. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROF. PVBLICO  
ECCL. CATH. MISN. CANONICO ALVMN. REG. ELECT.  
EPHORO NAT. SAXON. SEN. ACAD. DECENV. ET  
COLLEG. MAI. PRINC. COLLEGIATO

*PATRONO AC PRAECEPTORE SVO*  
*OMNI OBSERVANTIAE HONORIS ET AMORIS*  
*CVLTV AETERNVM PROSEQVENDO*

IN ACADEMIA LIPSIENSI

H. L. Q. C.

D. XXVIII NOVEMBR. AN. MDCCXXIV

DEFENDET

AVTOR

**M. GEORGIUS CHRISTIANVS Wolff**  
FREIB. MISN.

LIPSIAE  
LITTERIS IMMANVELIS TITII.